VITA BEATAE ZITAE VIRGINIS LUCENSIS, EX VETUSTISSIMO CODICE M.S. FIDELITÈR...

Digitized by Google

6
33 E
27

Die 14. Febr: 1696

VITA BEATÆ ZITÆ VIRGINIS LUCENSIS,

Ex vetuſtiſſimo Codice
M. S.
Fidelitèr tranſumpta.

FERRARIAE,

Ex Typographìa Filoniana. 1688.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD
B. ZITAM
VIRGINEM,
FATINELLI
DE FATINELLIS
HVMILIS SERVI

SUPPLICATIO

ANtè Aram tuam Clementiſsima, & Sanctiſſima Dña Venerabundus procumbo; Munus appendendum prò tua multiplici in nos ęrogatione gratiarum, quod eſſe tibi pla-

bi pla-

Digitized by Google

bi placitum poſſit, non habens ex me, quod tuum eſt, deuotus exhibeo, immò veriùs reſtituo; Tuarum ſcilicèt enarrationem Virtutum, mirabiliumque geſtorum, quæ fidelitèr Membranis tùnc extitit cōmendata, cùm depoſito in noſtris AEdibus, quas tuo iàm beatiſſimo per quadraginta octō Annos contubernio ſacraueras, Tabernaculo Corporis, circumamicta varietatibus meritorum ad cęleſtis Sponſi Thalamum fęlicitèr proceſſiſti; Membranæ illæ continuò, ut par fuit, apùd Familiam noſtram venerabilitèr cuſtoditæ, iis, qui de te, tempore procedente, ſcripſerunt, exemplar fuerunt, & norma ſcribendi; Has Ego Typis

dari

dari dignum putavi, ut non diutiùs deliteſceret fons, cujus rivuli palàm undequaquè defluerent, utque tot jàm ſæculis exactis, ex AEdiũ noſtrarũ umbra publicam tandèm in lucem deductæ noſtri ſint in te cultus monumentum ære perennius, tuæque in nos pietatis, ac miſerationis excitamentũ; quatenùs tuis apud Patrem Miſericordiarum, Miſericordiæque Matrem interceſſionibus ſuffulti, tuaque recta ſectantes veſtigia, viam Mãdatorum curramus, per quam vnà tecum ad Vitam, quæ Chriſtus eſt, ingredi mereamur. **In te enim Deus nobis et præsidium constituit, et exemplum.**

AD

AUCTORES,
Qui
DE B. ZITA
Scripſerunt.

UGolinus Parmenſis J.C. ſcripſit ejus Miracula.
Dantes Aligherius in Cant. 21. de Inferno, ibique ejus Gloſſator Chriſtophorus Lādinus B. Zitæ meminerunt.

Io: Federighius de Vico Lunigianæ ſcripſit ejus Vitam Lingua Materna Lucæ impreſſam Anno 1582.

Siluanus Razzius Camaldulenſis ſcripſit ejus vitam in Vitis Sanctorum Thuſciæ Lingua Materna.

Franciſcus Alumnus in Libro, cui titulus: *Fabrica del Mondo*. in verbo. *Santo*. meminit S. Zitæ.

Cęſar Franciottus Clericorum Regularium Matris Dei in Hiſtoria Sanctorū, quorum Corpora Lucæ quieſcunt, ſcripſit ejus Vitam Materno ſermone.

Io: Michael Piò Ordinis Prædicatorum de Viris Illuſtribus ejuſdem Ordinis meminit S. Zitæ.

Guido Vanninius de Arte amandi Deum meminit Sanctę Zitæ.

Thomas Phaſellus in Hiſtoria Siciliæ meminit S. Zitæ.

Gabriel Pennottus in Hiſtoria Tripartita Clericorum Canonicorum Romæ impreſsa 1624. meminit B. Zitę, cuius Officium ſub ritu Duplici celebrari in Eccleſia S. Frigidiani teſtatur *lib. 3. cap. 39. §. 5.*

Aloyſius Nouarinus Clericorum Regularium in Martyrologio ſpirituali ſub die 28. Aprilis meminit S. Zitæ.

Philippus Piccinellius Canonicus Lateranenſis Panegyrin habuit S. Zitæ Lucæ impreſſam anno 16

Pom-

Pompejus Lommorius ſcripſit ejus Vitam italicè, Lucæ impreſſam Anno 1634

Bollandus in Actis Sanctorum Tom. 3. Menſis Aprilis ſub die 27. ejuſdem ſcribit per extenſum ejus Vitam.

Bzouius in Annalibus Tom. p. qui eſt xiij. poſt. Baron. ad Annum 1278. §. 26. agit de B. Zita.

Philippus Ferrarius in Cathalogo Sanctorum Italiæ ſub die 28. Aprilis meminit B. Zitæ.

Andreas Brunner è Societate Ieſu in Faſtis Marianis cum Diuorum Elogiis, ſub die 27. Aprilis Elogium inſcribit B Zitæ.

Arturus Dumoſtier Ordinis Minorum in Martyrologio Sanctarum Mulierum Pariſiis impreſſo 1657. Vitam compendiosè deſcribit B. Zitæ, ſub die 27. Aprilis.

Nicolaus Brautius in Martyrologio Poetico Sanctorum Diſtichon cecinit B. Zitæ.

Franciſcus Marcheſius Congregationis Oratorii, in Diario B. Virginis ſub die 27. Aprilis ponit exemplum B. Zitæ, quæ fuit Sanctæ Genitricis Dei Deuotiſſima.

Io: Nadaſius Societatis Ieſu in Anno Cœleſti ſub die 28. Aprilis ad B. Zitam preces dirigit.

Hippolitus Marraccius Clericor. Regular. Matris Dei in Liliis Marianis inſerit memoriam B. Zitæ.

Hieronymus Florentinus ejuſdem Religionis in Vita Ven. P. Io: Baptiſtæ Cioni meminit B. Zitæ.

Extant in Tabulariis Epiſcopatus Lucenſis, & Monaſterij S. Frigidiani plura Virtutum, & Miraculorum B. Zitæ documenta à Publicis Tabellionibus per tempora ab antiquo conſcripta, quæ inſpici ab omnibus poſſunt.

Lectorem admonitum volo, in hoc Scriptorum Cathalogo Chronologiæ ordinem minimè fuiſſe ſeruatum, ob diverſas impreſſiones, quarum primævas habere non potui; Sicuti nèc integrum Auctorum numerum, qui de B. Zita ſcripſerunt aut videre, aut noſse hactenùs licuit.

INCIPIT VITA B. ZITÆ VIRGINIS.

VERGENTE ad occiduum Mundo, & in ſenium prolabente ſæculi corruptela, Diuinæ lucis reſplenduit claritas temporibus iſtis nouiſsimis in Venerabili Ancilla Dei Beata Zita, Prouinciæ Tuſciæ, Ciuitatis Lucæ Diœceſi oriunda, in Rure videlicèt dicto Monte Segradi. Quam Deus Dominus, qui dixit, de tenebris lumen ſplendeſcere, quique elegit infirma Mundi, & quæ ſunt ſtulta, & contemptibilia, vt confundat fortia, tantis gratiarum radijs illuſtrauit, quòd licèt fuerit infimis orta natalibus, ſummis tamèn fuit virtutibus adornata, & referta copijs meritorum. Signorum quoquè, ac prodigiorum innumeris mirabilibus adeò claruit, vt in omnem terram,

Digitized by Google

qua Chriſtianum Nomen incolitur, exiret ſonus eorum, & à finibus Orbis Terræ quamplurimi in ipſius odorem currerent vnguentorum. Fide nempè inhærebat primæ Veritati, Deo magis credendo, quàm ſibi; Spe verò ſummæ largitati, ampliùs confidendo de Deo, quàm de ſe ipſa; Charitate verò ſummæ bonitati adhæſit, Deum ſuper omnia, & magis quàm sè ipſam, amando. Patrem quoquè habuit nuncupatum Ioannem Lombardum, Matrem verò Boniſsimam. Auunculum etiàm Gratianum Laicum, & Sororem Monialem nomine Margaritam in quodam Monaſterio Ordinis Ciſtercienſis; Quorum vterque, videlicèt Auunculus, & Soror talis, & tantæ conuerſationis, & vitæ fuere, vt ſi iuris prohibitio non obſtitiſset, dudùm prò ſanctis habiti in veneratione fuiſsent ab omnibus.

DE OPERIBVS MANVVM.

HÆC nimirùm à ſuæ originis Rure deſcendens, ætatis ſuæ duodecimum circitèr annum, intrà Ciuitatem Lucanam ad habitandum sè contulit. Vt autèm, iuxtà Apoſtolum, ad ea quæ opus erant ſibi ſuis manibus miniſtraret, nè fortè manducaret panem doloris, aut inualidis, & egentibus auferret ſubſidia, tradidit sè in obſequium quorumdam Nobilium hominum proſapiæ Faytinellorum Ciuium Lucanorum, degentium non longè à reuerenda Eccleſia Sancti Fridiani Lucani, in qua etiàm eius Corpus venerabile requieſcit. Duxit igitùr totum tem-

pus Vitæ ſuæ Venerabilis Zita in Domo Nobilium prædictorum, vſquè videlicèt ad annos fermè ſexaginta, ſeruiens Dominis, & Dominabus ſuis irreprehenſibilitèr ſinè querela, & curam ſollicitam gerens circà gubernationem Domus, & familiæ vtriuſque ſexus, & ætatis eorum. Et ſi aliquandò rei familiaris obſequia ſibi non incumbebant, ſtatim ad laborem Manuum aſſidua recurrebat, deuitans ſummoperè, tanquam morſus ſerpentium ignitorum, omnem otioſitatem, & curioſitatem huius volubilis temporis, arma videlicèt hoſtis antiqui ad miſeras animas captiuandas; Implebatque ſedula illud, quod in libro ſcribitur Sapientiæ: Quodcumque poteſt manus tua inſtantèr operare. Deuitabat quoquè exterribiles ſuperſtitiones aniles, dedita merendi cupidini, Deo quoquè exquiſitè ſeruire cenſebat glorioſum, Mundo verò inglorium.

DE ELEEMOSINIS, ET OPERIBVS MISERICORDIÆ.

Inerat quoquè Ancillæ Dei præcordijs diuinitùs data cum lenitate manſuetudinis quædam ad pauperes miſeratio liberalis, quæ ſecùm ab infantia creſcens tanta cor illius benignitate repleuerat, quod numquàm, ſi poſſibilitas afforet, eleemoſinam petentibus prò amore Domini denegabat; Et vt sè ad hoc paratam faciliùs reperiret, non tantùm decentia ad hoc opus, vel quæ oportuna viderentur, cura peruigili præparabat, ſed & quæquæ permodica fragmenta, vel vilia, etiam ex pulmentis, & minutijs ſolli-

citè colligebat, obſeruans intentè, ne fortè vacuum pauperem contingeret ab ea diſcedere. Dumque hoc propoſitum vſquè ad mortem prò poſse ſeruaret, ad copioſiora erga Deum gratiæ incrementa peruenit. Adcò quidem, vt dùm quadam die Peregrinus quiſpiam ſiti paritèr ęſtuans, & calore, ab ea eleemoſinam poſtularet, & ipſa non haberet vndè pauperi ſubueniret, anxiabatur plurimùm, quid ageret meditando.

DE MVTATIONE AQVÆ IN VINVM.

TAndem cælitus inſpirata orat pauperem Peregrinum, donèc ſibi aquam recentem de puteo afferat, ſubſtinere; arreptoque vaſe æreo iuxtà loci conſuetudinem, hauſtam recentem aquam à puteo attulit Peregrino, extenſo deſupèr ſigno Crucis; Cumque guſtaſset ille prædictam aquam diuinitùs Vinum factam, & actualitèr perſenſiſset peroptimi Vini ſaporem, hilariùs, & abundantiùs bibit, aſserens poſtmodùm, & conteſtans, ſe numquàm tale, tamque ſuaue Vinum bibiſse cunctis diebus vitæ ſuæ.

DE BENIGNITATE, ET PIETATE CIRCA PAVPERES.

***

PIetatis quoquè dulcedo cum tanta plenitudinis copia in Domini famulam à miſericordiæ fonte manauerat, vt ad miſerabilium perſonarum releuan-

da

das miſerias viſcera videretur geſtare materna. Itaq; liqueſcebat anima eius ad infirmos, & pauperes, extendebatque manus ſtudioſiùs ad eoſdem, quos quidem omnes quadam cordiali, & fraterna affectione maximè peramabat. Et vt ex hoc ſuum ſacrificium gratius Deo offerret, proprio corpuſculo delicata quæquæ, & neceſsaria ſubtrahebat cibaria, ac perſonalitèr captata oportunitate portabat eis, quos ægritudo, vel inopia plus premebat; Quos & ſæpiùs perſonalitèr viſitabat, & curabat ſummoperè eis inualidis obſequia exhibere. Nàm tunc quis placentem Deo abſtinentiam offert, ſi ea, quæ ſibi de alimentis ſubtrahit, indigentibus largiatur. Quibus ſiquidèm non poterat manum, ſaltem exhibebat affectum, exhortationibus ad patientiam, aut verbis conſolatorijs interſertis. Egentis etenim cor doctrinæ ſermo non penetrat, ſi hunc apùd eius animum manus miſericordiæ non commendat; & illa vox cor audientis penetrat, quæ hoc, quod ſonuerit, opere confirmat. Siquidem quidquid penuriæ, quicquid defectus cernebat in aliquo, pij cordis dulcedine referebat in Chriſtum, cumque in cunctis pauperibus effigiem Chriſti proſpiceret, ſi qna neceſſaria vitæ ſibi collata fuiſſent, ſiuè in veſtibus, pannis, calceis, vel rebus quibuſq; egenis occurrentibus non ſolùm liberalitèr conferebat, verùm etiàm perquirebat eoſdem, & ac ſi propria illorum eſsent, eis æſtimabat eſſe reddenda; Nàm cùm quelibèt neceſsaria indigentibus miniſtramus, ſua illis reddimus, non noſtra largimur; & iuſtitiæ potiùs debitum ſoluimus; quàm miſericordiæ opera impleamus. Huiuſmodi autèm miſericordiæ operibus tanto ſtudio erat intenta, vt innumeris vicibus Dominam ſuam, & alios multos induceret ſuis conatibus ad copioſiores eleemoſinas per manus ſuas perſonis miſerabilibus erogandas. Mercedem quoquè

annuam,

Digitized by Google

MIRACVLVM.

IMitatrix ſiquidèm extitit Ancilla Dei Zita apoſtolici Viri Beati Martini Pontificis, dùm, proùt legitur, veſtire Chriſtum Dominum meruit in eius perſona, vel cuiuſpiam Angelorum. Nocte quidem ſacratiſsima Natiuitatis Domini Saluatoris cùm ad Vigilias Matutinas, quas tota Eccleſia Sancta præ cæteris ſolemnizat, feſtinare curaret, & frigoris rigor intenſi ſolito grauior inhæreret, dixit ad eam Paterfamilias domus: O' Zita quomodò ſic properas ad Eccleſiam hoc noctis tempore frigidiſsimo, quo vix ſub tecto, & pannis conſiſtentes algoris gelidi poſsumus perferre moleſtiam? cùm tu maximè ieiunio præcedenti confecta, vilique Veſte, ac tenui cooperta ſuper humecta, & frigida conſeſſura ſis marmora pauimenti? Nempè aut tibi parcens hoc in loco vacatura ſanctis obſecrationibus dege, aut tuis humeris contrà moleſtiam frigoris clamidem meam cum pellibus ſuperadde. Cumq; Zita recuſaret in Nocte tantæ ſolemnitatis deeſse ſanctæ Eccleſiæ, & aſſumpta pelliciata illius Clamide ad Eccleſiam properaret, replicans loqui Paterfamilias dixit quodam præſago ſpiritu, proùt ſequentia indicarunt: Aduerte Zita, & diligenter caue, ne Clamidem recommendes alteri cuiquam, aut dimittas vbilibèt, ne fortè illà deperditâ, ego eius carentia, & damno afficiar, & tu à me grauem moleſtiam patiaris; At illa reſpondit: benè quidem Domine mi, benè tibi erit ſalua, & cuſtodita hæc clamis. Dum itaquè Zita ingreſsa fuiſset Eccleſiam, ſtatim eius intuitus ſe direxit ad quendam pauperem ſeminudum ſubmurmurantem, & præ aſperitate frigoris dentibus conſtre-

pentem ; in cuius miſeria continuò cor Zitæ præ compaſsione confoſsum liquefiebat ſupèr afflictione pauperis tremebundi; & accedens propiùs ait: Bone frater quid tibi eſt , & cur querimonijs huiuſmodi tè afficis? At ille quodã vultu placido intendens in eam, extendit manum , tetigitque clamidem memoratam ; Tunc Zita amota ab humeris ſuis clamide, cum ea contegit pauperem , dicens: & has frater teneas ſupèr tè pelles, donèc Diuina omnia compleantur, & reſignaueris illas mihi; Nè verò hinc abeas, quià tè ad domum perducam , & à frigore protegam. Et his dictis , ad partem sè trhaxit , vbi conſuetudo ſibi erat in Oratione, & ſancta Meditatione , ac Diuinorum auditione conſiſtere. Perfectis igitùr Diuinis Officijs, cùm vniuerſi viri, & mulieres, qui conuenerant, remearent , neceſse habuit & Zita redire, & perquirens pauperem vndiquè pèr Eccleſiam , & foris, & nuſquàm reperiens , ſecùm talitèr conferebat : Putas quò ille diuertit ? nùm quiſquam ſibi clamidem abſtulit ? & is præ verecundia non audet , sè meis viſibus exhibere ? & quidèm ſatis videbatur perſona bonæ apparentiæ, vndè nèc credo , quòd vt Clamidem fraudaret aufugerit . His, & ſimilibus modis excuſabat apùd sè piè pauperem , nèc illi quomodolibèt furtum , vel rapinam volebat impingere. Cumque ſatis perquirendo vagaſset, nèc potuiſset inuenire illum, pudibunda reuertitur , ſempèr gerens in Domino firmam ſpem , quod vel Patrem familias ſibi redderet pacatum , vel quod inſpiraret dicto profugo pauperi vt ad eam clamidem reſignaturus rediret . Deniquè dùm Zita domum ſinè Clamide perueniſset , aggreditur eam Paterfamilias verbis aſperis , & contumelijs , ſubdens querimonias multas nimis ; Nulla verba , vel ſigna vllius impatientiæ recepit ab ea , ſed planè , & cum exhortatione bonæ ſpei facti ſeriem prælibatam attentiùs ab ea

(B) propoſi-

propoſitam intellexit; Nèc tamèn vſquè ad horam prandij à murmuratione ceſsauit. Oh immenſa Diuinæ Bonitatis Clementia! Ecce ſiquidem hora tertia adeſt in Scalarum domus medio pauper venuſta ſpecie demulcens animum intuentium, & in vlnis deferens Clamidem præfatam, quam & Zitæ reſtituit, audiente, & vidente prædicto Patre familias, gratias referens pro exhibitione tanti beneficij ſibi collati, & ſubitò dùm tàm Zita, quàm Pater familias ipſum alloqui inchoaſset, diſparuit ab eis velùt fulgor coruſcationis cuiuſdam: immiſso in eorum corda cælitùs quodam nouo, & inexperto gaudio, ex quo cum admiratione lætabantur, & cum delectatione quadam diutiùs mirabantur.

DE ARDVA POENITENTIA,

ET AVSTERITATE VITAE

TAnta nempè diſciplinæ rigiditate fœlix Zita carnem crucifigebat cum vitijs, motuſque ſenſuales, quos, licèt rariſsimè, ſentiebat, tàm ſtricta frænabat modeſtiæ lege, vt aliquandò vix ſumeret neceſsaria ſubſtentationi naturæ; quinimmò decocti cibi particulam ſibi à Dominis reſeruatam, vel deputatam raro deguſtabat, ſed eandem infirmo, vel pauperi cuiquam delatura ſeruabat, contenta ſibi ſumere peſsima, & viliſsima quęquę. Tàm verò diſtrictam in potus, præcipuè vini, parcitatem ſeruabat, vt diebus per circulum anni quamplurimis nullatenùs Vinum guſtaret. Et quia tunc caſtimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cùm perab-

ſtinentiam caro domatur, ieiunijs crebris adeò sè macerabat, vt licèt videretur facie corpulenta, oſsibus vix hærebat. Pallebat os eius ieiunijs, & mens coelicis deſiderijs æſtuabat, vt plerumquè non minùs quàm corpus humanum phantaſma, vel ſpiritus videretur. Nèc tamèn, vt plerique faciunt, tunc ſibi commodiùs cœnam copioſiorem, vel vberiorem parabat, nè curam carnis in deſiderijs ageret; quinimmò parare ſibi ſatagentibus cum effectu vetare ſtudebat, nè vèl in hoc cuiquam fieret oneroſa. Veſtium quoquè quibus tegebat corpuſculum, nullam omninò pretioſitatem, vel vilitatem, colorem, vel aliam qualitatem, ſeù quantitatem attendit, nèc de ijs admodùm curam geſsit, deuitando ſummoperè implicationem animi ſui, quem ſempèr liberum habere volebat, ac ſapientèr aſserendo: Non in qualitate veſtis, sèd in amplitudine charitatis perfectionẽ conſiſtere Chriſtiani; humana etenim mens quò altiùs sè eleuat, & quæ ſint æterna conſiderat, eò de faſtis temporalibus grauiùs tremefacta formidat. Nudis inſupèr pedibus omni tempore incedebat, nequè aſperæ hyemis tempore patiebatur vlla calceamenta deferre. Sanè circà lumbos ſuper nuda carne cordà, vel fune circumcincta degebat, qua tàm validè ſtringebatur, quod, ſicùt poſt mortem eius compertum eſt, caro excreuerat ſuper funem, & crebris in locis cutis deſupèr lacerata ipſam aſsiduè diſcerpebat. Quamuis prætereà lectulum ſatis conuenientem haberet, in eo rariſsimè decubabat; magis autèm pauperes, & peregrinos introducens, ipſos in ſtratu ſuo refocillabat; Sæpiùs etiàm Meretrices, vel alias Mulierculas carnis illecebris, & turpitudini ſeruientes hoſpitabatur, & introducebat ad lectum, ea videlicèt ſimplicitatis conſideratione, vt quantùm poſset, vèl vna nocte ipſas à peccati coinquinatione ſeruaret; Zelans

nimirùm ardentiſsima charitate ſalutem omnium animarum. Nuda humus frequentèr, aut ſæpiùs lignea tabula lectus erat ſuo laſſato corpuſculo, & laboribus, ac genuflexionibus fatigato, aut curſitationibus tantùm feſſo, vt ſi videres, putares ab ea ſpiritum exiturum; Et tamèn, vt continuò in ſequentibus liquet, vires tollerantiæ miniſtrabat ei Deus, cui amore flagrantiſſimo ſeruiebat in fame, & ſiti, frigore, & nuditate.

MIRACVLVM.

SIquidèm viſitationis gratia deuotiſſima Zita quadam die, ieiunium agens, iter arripuit adeundi Eccleſiam Sancti Iacobi de Podio propè Piſas cum quadam ſibi familiari comite, cùmque perueniſſet ad eandem Eccleſiam, & humilitèr orationem ſuam Domino obtuliſſet, deliberatione præmiſsa, & itinere continvato, proficiſcebatur ad Eccleſiam Apoſtoli Petri ad Gradum, quæ eſt versùs Mare vltrà Ciuitatem Piſanam milliarijs quinque: Ingreſſam igitùr Zitam Ciuitatem Piſanam comes illa præfata retrocedens reliquit; Et quoniàm quiſquis bonum maius ſubire proponit, bonum minus, quòd licuit, illicitum facit, Zita ſtabilitum propoſitum non omittens adiuit Eccleſiam præfatam Apoſtolorum Principis, oratione ſupplici deuoto coniuncta ieiunio. Iàm horà quaſi veſpertinà dùm rediret per Ciuitatem Piſanam, inuitabatur ad hoſpitium; sèd cùm nolens annuere, deueniſſet ad Balnea Montis Piſani, occidente iàm Sole, ſatis rogabatur à quodam benè ſibi noto, quatenùs hoſpitari amodò di-

gnare-

rerur, sèd nèc sìc acquieuit ibi manere. In feruore autèm ſpiritus ſui tranſcendit intrepida illum aſperi itineris Montem, qui nuncupatur Sancti Iuliani, vbi à quodam Eremita exhortabatur grandi precum inſtantia requieſcere, nè fortè in tantæ ſolitudinis nocte incideret in manus latronum, vel agreſtium belluarum; hunc quoquè aure ſurda trãſiuit, carni ſpiritu præſidente. Caſtrum inſupèr Maſsæ, & homines quoſdam adhùc inibi vigilantes modò ſimili pertranſiuit, inſtantèr inuitantes eam, & nimiùm debilis fœminæ conſtantiam admirantes. Vergente autèm deorsùm conditione corporea præ ieiunio, & laſſitudine viæ, famem parpetiendo, reſedit ſupèr fontem quemdam circà primum gallorum cantum;. Et cùm penè anguſtiata iàm caro ſinè vllo reniſu deficeret, laſſeſcentibus artubus, inuictus ille ſpiritus exultabat. Cùmque Ancilla Dei modica aqua perfunderet ora, apparuit ei ſubitò quædam Mulier, vt piè creditur, Genitrix Filij Dei, quæ ſalutatione præmiſsa, contigit eius amicabilitèr latera, dicens: Vultis nè venire, & redire? Ad vocem cuius gratiſſimam Zita non ſolùm imperterrita manſit, ſed ex illius pio, ac dulci famine tantam fortitudinem, ſecuritatem, & confortationem recepit, quòd omnis debilitas, omniſque laſſitudo famis, & ſitis euanuit; & reſpondit continuò: libentèr volo venire, eamus paritèr. Dùm igitùr paritèr commeantes perueniſſent ad Põtem tectum circà mediam noctem, ecce ianua Pontis, quæ more ſolito clauſa, & firmata erat, vltrò aperta eſt eis, quibus ingreſſis, per sè iterùm clauſa fuit, & obſerata. Demùm venientes ad Portam Ciuitatis, inuenerunt eam ſimilitèr ferreis ſeris firmatam, quæ modo ſimili in conſpectu illarum sè ipſam patefecit in ictu oculi, liberum vtrique prębens ingreſsum. Tandèm peruenerunt ad Domum

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ habitationis, & ad clamorem Zitæ famula domus cum murmuratione, & obiurgatione aperuit oſtium, & ſtatim Mulier illa diſparuit quæ Zitam comitabatur; Volens autèm Zita præfatam ſuam ſociam introducere, manum extendit, & aſpectum conuertit; sèd cùm nèc inueniret, vel videret eandem, admirata, & turbata eſt valdè, conferens in corde ſuo quomodò diuertiſſet, & quæ fuiſſet, quæ talem ſibi exhibuerat comitiuam; Cuius dùm ſuaui, cundo, perfrueretur alloquio, nèc viæ pertæſum fuit, & cęleſti videbatur ſibi pabulo ſaginari.

MIRACVLVM.

REm prætereà ſatis mirirabilem recenſemus, quòd videlicèt famula Dei Zita omni penè tempore, quoàd vixit, conſuetudinem habuit ad Monaſterium, & Eccleſiam Sancti Angeli ad Montem proficiſcendi in hebdomada ſemèl, maximè ſexta feria. Hæc æquidèm Eccleſia in Monte poſita ſupèr Fluuium à Ciuitate Lucana diſtat milliarijs quaſi ſex. Nèc ab hoc itinere retrahebat eam quæuis natabunda immenſitas pluuiarum, ſeù funebris tempeſtatum procella. Quadam igitùr die dùm fuiſſet pluribus miniſterijs domeſticis præpedita, adueſperaſcente, & inclinante iàm die, conſuetum arripuit iter. Et ecce quidam æquo veloci reſidens, à tergo illam è veſtigio ſequebatur; & hic quidèm versùs eandem Eccleſiam prò familiaribus negotijs properabat, qui dùm cerneret eam pedetentim ſe greſſu raro, & debili procedentem, exorſus inquit: Quò

mulier cula ſtolida pergis hac hora tardiſſima? tè noctis iàm tenebræ circumdantes, in errorem ſunt noxium producturæ; Illa verò, ac ſi nil penderet, reſpondit humilitèr: itote viam veſtram, mè Chriſtus perducet incolumem. Idem continuò eques greſſu veloci, & concito Zitam præceſſit, & feſtinans hora congrua peruenire quò ibat, ſemiplenè currebat; & dùm coràm dicta Eccleſia tranſitum faceret, cernit non ſpecie tenùs, ſed veracitèr Zitam orantem in limine antè poſtes Eccleſiæ, & illam sè maturiùs perueniſse, perducente Domino, in quo mente pura, & ſimplici totalitèr confidebat; Quam cùm admiratione permaxima exquireret quomodò tàm velocitèr sè præceſserit, & eò citiùs perueniſſet, inquit illud Sancti Iob: ſicùt Domino placuit, ità factum eſt.

DE INTENTA ORATIONE, ET DVLCEDINE CONTEMPLATIONIS.

SEntiens igitùr Zita Ieſu Chriſti Ancilla corpore sè peregrinam à Domino, nè aliquandò foret abſquè conſolatione ſponſi dilecti, ſinè intermiſſione orabat,& orando ſpiritũ Deo contendebat exhibere præſentem; Et vt eius animæ intellectus ab irradiatione Diuinæ lucis purior redderetur, ſic continuabat orare, vt etiàm manibus operans, corde, & ore obſecrationis verba ruminando depromeret, nè quietem funditùs deſerens, ignem in sè ſuperni amoris extingueret. Proptèr quòd eueniebat aliquandò, vt

opera manuum eius reſultarent inepta, dùm cor non apponeret operationi, sèd magis orationi; Nàm ambulans, & ſedens, laborans, & vacans intùs, & foris adeò erat orationi mentis intenta, vt Deo videretur non ſolùm quidquid erat cordis, & corporis, verùm etiàm temporis, & operis dedicaſſe. Suſpendebatur frequentèr facta in extaſi tanto deuotionis exceſsu, defixo ſinderefis apice in æterna ſpectacula, vt ſuprà ſemètipſam rapta, & vltrà humanum ſenſum aliquid ſentiens, quod circà sè ageretur omninò neſciret; ſed poſt multas lacrimas, poſt Cœlo oculos inherentes, ſibi non nunquàm videbatur intereſse agminibus Angelorum; Et carnis clauſtra cęlica contemplatione tranſibat, hauriens ſuperlucentis ſplendoris, & ſuperardentis amoris ſuauiſsimas flagrantias. Vt autèm quietiùs ſpiritualium conſolationum immiſſiones ſuſciperet, Diuini amoris exuberantia debriata loci ſolitudinem infrà ſepta domus habitaculi ſui quærebat, & frequentiùs inibi pernoctabat, vbi ab his, qui de familia erant, tanta lucis claritas ſæpè videbatur in nocte, ac ſi fons luminis ſol oriretur ibidèm, exiſtimantibus ijs, quibus mens ſanior inerat, eam tunc præſentia Auctoris luminis, vel viſitatione angelica conſolari. Omni penè tempore vitæ ſuæ ſurgebat ad vigilias matutinas, & ſæpiùs in Eccleſiam Beati Fridiani ſibi vicinam accedens, officio matutinali intentiſsima permanebat; Degenſque ſolitaria in inferiori parte Eccleſiæ admodùm ſpatioſæ, ibi ſuas orationes formabat, ſpargebat lacrimas, locum replebat gemitibus, tundebat manu, vel lapide pectora, & quaſi occultius ſecretarium nacta, cum Deo multifariè conferebat. Præcipuè antè quandam Dominicam Crucem, iàm penè vetuſtate conſumptam, & ob hoc in diuerſorio Coemeterij poſitam, conſueuit orare.

Ibi

Ibi liqueſiebat anima eius, dùm de aſsatis in clibano Crucis agninis carnibus perdulcitèr, & perſuauitèr reficeretur. Et adeò memoria paſſionis Chriſti viſceribus cordis eius erat impreſsa medullitùs, vt mentem eius intrinſecùs & incendio dilectionis adureretur, & abſinthio compaſſionis impleretur. In cuius amore fontali eò æſtuabat ardentiùs, quò de paſſione eius doluit vehementiùs; & dùm ſupèr dulciſſimi Crucifixi Domini plagas vulnerum oculis mentis interiùs quaſi iugitèr cerneret, vix exteriùs à lacrimoſis gemitibus continere valebat, animaduertens videlicèt virgìneis viſceribus cum ſuſpirijs inęſtimabilibus quomodò ſanguinales fluuij ex cœleſtibus Ieſu membris, & cum eis ſpiritus ille beatiſſimus exhalabat. Nèc priùs à pectoris ceſſabat verberibus, donèc, inuiſibilitèr Domino increpante, rediret tranquillitas. Et ſicùt ſolet homo loqui ad amicum ſuum, ſic gemebunda loquebatur ad Dominum, tamquàm præſens in carne aſſiſteret, totam Dominicæ Paſſionis ſeriem ſuperamabilem recenſendo. Tanta ſæpiùs perdulci ſuauitate fontalis voluptuoſitatis, & ſupercæleſtis ſpeculationis detinebatur, cælicis influxionibus prælibatis, vt plerumquè Cuſtos Eccleſiæ præfatæ volens eam excludere, peractis Diuinis Officijs, vel Miſsarum ſolemnijs, vix poſset eam abſtrahere, etiàm obiurgando, ab immenſa dulcedine perſuauiſsimæ contemplationis; ſolita enim erat cunctis abire poſterior, & cæteris præſtantior introire; Nihilominùs quoquè excluſa ſæpè antè ianuam Eccleſiæ clauſam orationem ſuam perficiebat. Adſtruebât quidèm prædicta eminentium callorum immenſitas, quæ in dorſis manuum, & genibus ſuis poſt mortem comperta eſt habuiſſe, & quod eius ſpiritus viuens ſempèr egerit, caro mortua teſtabatur. Vt plurimùm autèm non degebat in Eccleſia intèr reliquas

mulieres ; quoniàm vacare inani loquacitati ſæpiùs dignoſcuntur, ſed iuxtà muros locum ad orandum ſibi eligere conſueuit. Tanto quoquè ſilentio, & pudore sè in Eccleſia coarctabat, vt non ſolùm in cuiuſquam faciem minimè videre tentaret, ſed nil aliud, quàm orationes ore, vel mente reuolueret; Nàm ſępè dùm ab otioſis verbis nequaquàm lingua compeſcitur, ad temeritatem quoquè ſtultæ loquacitatis effięnatur.

MIRACVLVM.

EVenit igitùr, vt dùm quadam vice prolixiùs ſolito poſt matutinas orationi incumberet, illuxit claritas ipſa diei; quod dùm Zita percepiſſet oratione finita, apùd sè ipſam vehementèr eſt verita reminiſcens videlicèt, quod deficiente pane in domo Domini ſui, ſibi eodem mane panum confectio incumbebat, ad quod quidèm, horam nouerat præterijſſe; Rediensque feſtinantiùs domum cæpit velle intendere præſtantiori ſtudio operi ſupradicto; Sed accedens ad Arcam inuenit panes decentiſſimè factos, quibus delatis ad clibanum, concito gradu redijt, gratias cum timore, & pudore ſuæ Dominæ Matrifamiliæ relatura, quam, exiſtimabat, panes cōfeciſſe pręfatos, qui tamèn cœlitùs facti fuerant, ſicùt poſteà certo certiùs eſt compertum, dùm diſquiſitione præhabita diligenti, nemo mortalium repertus extitit, qui confeciſſet eoſdem. Sanè ſicùt prædiximus, licèt de nocte in Eccleſia, vel in ſecretiori parte domus inſtantèr Orationi vacaret, de die nihi-

lomi-

lominùs pia, & Sancta loca, pauperum Hoſpitalium, Eccleſiarum, & Monaſteriorum perſonalitèr viſitabat; Et vbicumquè nouerat feſta celebrari Sanctorum, ſeù primæuam miſſam cuiuſcumque nouelli Præsbyteri decantandam, ex deuotione fideli, & prò obtinenda remiſſione, & Indulgentia conſueta, properantèr adibat, tantò commodiùs Dei, & Sanctorum ſuffragia petitura, quantò liberiùs, vbi penitùs eſſet incognita, ſibi liceret obſecrationi vacare.

MIRACVLVM.

QVodam igitùr tempore, dùm adeſset Beatæ Mariæ Magdalenæ deuota feſtiuitas, Zita more ſolito ſibi pridèm accedere ſtuduit ad eius Eccleſiam, remotam à Ciuitate Lucæ milliarijs penè decem in ſolitudine, quæ Cerbaria nuncupatur; quamvis proprèr Guerrarum diſcrimina, quæ Lucanos, & Piſanos grauitèr affligebant, nemo confideret ad eandem Eccleſiam properare, cùm illis in partibus crebrò ſpoliarentur, & aliquandò iugularentur homines quilibèt adeuntes. At Dei Famula in feruore ſpiritus conſtituta non omiſit ob hoc proficiſci ſumma cum deuotione ad eam, deferens in manibus Cæreum ad honorem accendendum Beatiſſimæ Magdalenæ. Cùmque ſoliuaga per ſolitudinem conſtantèr tranſeundo, ad eam circà diei finem, & noctis initia peruenilset, comperit diligentèr Eccleſiam clauſam, & ſeris firmatam, penitùſque nullum adeſſe, vtpotè quæ proptèr guerram præfatam à nemine habitabatur. Proſtrauit itaquè in oratione ſemetipſam ſupèr limina portæ, tan-

diù ſub dio curuata perſeuerans orando, donèc præ laſſitudine corporis, & prolixitate obſecrationis ſomno deuicta dormiuit. Proindè inundatio denſiſſima pluuiarum, ventorum, & tempeſtatum furibunda commotio nocte exercuit eadem. Iàm tandèm appropinquante Aurora Zita venerabilis ſicùt intrepida, ſic & illæſa ab oratione paritèr & à ſomno ſurrexit, Cæreumque, quod extinctum attulerat, reperit in manibus ſuis igne diuino accenſũ; què nèc vẽti, nèc pluuia potuerant extinxiſse, & antè faciem ſuam fores Eccleſiæ nutu pateſcentes Diuino, liberumque præbentes eidem ingreſſum; Quam poſtmodùm ingreſſam, & orantem plures euidentiùs repererunt, qui cum Presbytero dictæ Eccleſiæ aduenerunt poſt ſolis ortum, ob hoc admiratione nimia ſtupefacti:

DE CASTITATE;
ET VIRGINITATE.

REuerendam inſupèr Beatam Zitam non euentu fatali, credimus, tale nomen fuiſſe ſortitam, ſed Diuino preſagio, & diſpoſitione gratię ſupernaturalis, cui ſunt futura præſentia. Zita nempè Romana lingua virginem ſonat. Hæc ſiquidèm fuit Virgo puriſſima, ideò rigida in diſciplina ſupèr cuſtodiam ſuam inuigilabat attentiùs, curam gerens præcipuam de impretiabilis cuſtoditione theſauri, caſtitatis, & virginitatis videlicèt in fictili vaſe; Et quoniam nil tàm facile eſt, quàm effici malum,

etiamsì

etiamsì nemo doceat, nemo compellatur, propterea & circà iuuentutis tempora, & in proceſſu ætatis nulli mollitiei, ſed aſperitati auſteriſſimè inſiſtebat, carnem ſuam iugitèr macerando, pro eo quidèm, quod experientia certa didicerat, hoſtes malignos duris, & aſperis in fugam conuerti, delicatis autèm, & mollibus ad tentandum fortiùs animari. Tantò quippè mens ad appetenda ſuperna componitur, quantò ab illicitis arctiùs corpus domatur. Tanta itaquè per exercitationes huiusmodi fulgere cæpit in ſenſibus venuſtate pudoris, vt plenum iàm carnis aſſecuta dominium, fœdus cum oculis pepigiſſe videretur, quòd non ſolùm carnalem aſpectum horreret, ſed etiàm curioſum vanitatis cuiuſque contuitum caueret; Nihil re vera ſibi ad beatam vitam præſtantius videbatur, quàm velùt clauſis carnalibus ſenſibus, extrà carnem, mundumque sè fieri, & in ſemètipſam conuerti, & ſenſus ſuos, atque animos conſpicando, alienam à mortalibus curis ſibi ſoli, & Deo vacare. Cordis igitùr, & corporis puritatem adepta, ſic domeſticum hoſtem domuit, & ſibi perfectè ſubegit, vt candidum animæ veſtimentum à voluptatis incendio præſeruaret, & quoddam ſanctificationis vas ſinceriſſimè præmundatum cerneretur. Terribilitèr quoquè ſpernebat vèl ſolùm audire quæque laſciua colloquia, proſpiciens puritati ſuę conſcientiæ inuiolatè ſeruandæ. Sępè enim verba carnalium dùm sè importunè noſtris auribus ingerunt, in corde bellum tentationis gignunt, & quamvis hæc & ratio reſpuat, & lingua reprehendat, cum labore tamèn intùs vincitur, quod foris cum auctoritate dijudicatur; vndè neceſſe eſt, vt nèc ad aures veniat, quod mens à cogitationis aditu vigilans repellat; quià perpetratæ tandèm noſtræ nequitiæ adhùc memoria tangimur, & cogitatione illicita aduerſi, no-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

lenteſque pulſamur. Cæterùm quandoquè inuerecundæ petulantiæ quidam ex famulis domus tentauit illam ſcurrilitate verborum tempore iunioris eius ætatis flectere ad incæſtuoſos complexus, addens nihilominùs verbis impudicitiæ geſtus; extenſiſque manibus peruicaci audacia irruebat in eam, vt dùm blandimenta delectationis cautè non cerneret, in noctem nequiſſimæ perpetrationis incideret. Ipſa verò licèt ſtaturà paruula, & viribus quaſi nulla, dùm nollet procacis iuuenis propalare conatus, Zelo tamèn accenſa pudicitiæ conſeruandæ, toto sè conanime viriliter defenſabat, & vnguibus vultum illius modicùm lacerauit, ſolertèr inuigilans, vt cùm blandiri culpa inchoat, ad quantum interitum mens trahatur agnoſcat; Sicque auxiliante Deo in nihilo Dei famulæ potuit ille impudens præualere. Aſpero tamèn famine ad eius comprimendam laſciuiam conuenit eumdem, comminationes adijciens, de ipſum denutiando Domino ſuo, ſi de cætero audaci procacitate ſibi talitèr loqueretur, ab eo grauitèr puniendus, nèc non à Deo, ſi ad lamenta pœnitentiæ non accederet; tanto nempè arctiori manu pœnitentiæ mens à pollutione tergenda eſt, quantò sè per conſenſum conſpicit ſordidiùs inquinatam. Et quamuis hic conflictus nequiſſet pœnitùs ſubcelari, Domino Domus ſubtiliùs perquirente, & diſcente à famulo, cùr, vel à quo ſic foret in facie laceratus, Zita tamèn curialitèr, & abſque prolatione mendacij, vèl exilis, cauto cum pudore dabat reſponſa, nolens ſuas iniurias vindicari, nèc proximi detegere conatus ad crimen.

DE

DE PERFECTA HVMILITATE, ET CAVTA CONSERVATIONE EIVSDEM,

OMnium virtutum cuſtos, & decor humilitas famulam Dei Zitam ſic ſui iuris effecerat, vt quamvis multiplex in ea fulgeret prærogatiua virtutum, & iàm præ vitæ ſanctitate veneraretur à multis, in propria tamèn reputatione, qua peccatricem sè fatebatur, prorsùs nil erat, niſi fictile quoddam, & ſordidum vaſculum; cùm in veritate vas eſſet ſanctificationis electum, multiformi virtutum gratia, & ſanctitudine dedicatum; & quidèm ſatis erat difficile, magna peragendo, apùd ſemètipſam de magnis actibus cogitationum fiduciam non habere; Eo enim ipſo, quo contrà vitia fortitèr viuitur, cogitationum præſumptio in corde generatur, & cùm mens foris culpas valentèr conterit, plerumquè apùd ſemètipſam latentèr intumeſcit: iàm sèsè eſſe magni alicuius meriti exiſtimat, nèc sè peccaſſe à cogitatione ſuæ æſtimationis putat. Antè diſtricti Iudicis oculos tantò deteriùs delinquitur, quantò culpa, quò occultiùs, eò penè incorrigibilitèr perpetratur, & tantò ad vorandum latiùs patet fouea, quantò de ſemètipſa largiùs gloriatur vita. Ideòque intenta sè moderatione regebat, nè augeret meritum culpæ ſequentis præconium gloriæ præcedentis. Studebat quidèm ſummoperè in oculis ſuis, aliorumque

que vileſcere , & defectus in sè latentes non ſolùm Sacerdoti in Sacramentali confeſſione, quam maximè frequentabat , aperire , ſed etiàm publica aſſertione fateri ; donaque datoris , reuelationes , & gratias pectoris arcano celare , vt nequaquàm pateret gloriæ , quod occaſio poterat eſse ruinæ ; Quoniàm grande impedimentum eſt hominibus ad virtutem falſæ , & inanis gloriæ præſumptio ; quia plerumquè in bono opere peccati puluis contrahitur , & vndè audientium corda mundantur , indè inquinantur veſtigia loquentium . Sanè vt perfectæ humilitatis, quæ ipſam præ cunctis virtutibus reddebat inſignem, omnem impleret iuſtitiam , sè ipſam adeò ſtuduit non ſolùm Dominis, maioribus , & paribus , verùm etiàm inferioribus ſubdere , quòd nullius vmquàm mandatum , vel obſequium denegauit quamtumlibèt graue , ſeù difficile videretur ; Sed libera cum hilaritate continuò poſt ſuggeſtum , perſuaſum , vel imperatum , ad perſuaſæ , ſuggeſtæ , vel imperatæ rei perfectionem sè totam totalitèr conferebat , nullam temporis, loci , vel difficultatis excuſationem verbo , aut ſigno prætendens ; Sed vt erat voce mitiſſima , & ſimplicitate columbina repleta , reſpondebat continuò , sè quod ſibi foret poſſibilitèr impleturam , gerens sè quaſi vilia purgamenta .

MIRACVLVM.

IN deluſionem quandoquè à iuuenibus Dominabus deſtinata fuit , quibuſdam occaſionibus friuolis exquiſitis , ad loca remota tempore pluuiæ denſio-

ris, vt videlicèt dùm tota rediret aquà perfuſa, riſui pateret earum; quæ quidèm celeriùs properauit implens fidelitèr demandata; & tamèn ſic immunis redijt à pluuia,humilitatis, & obedientiæ merito, quòd nequè modica ſtilla aquarum ſupèr illam cecidiſse cerneretur. Conſtituta quoquè in itinere quolibet ſalutari cum quibuslibet commeantibus, tamquàm ſubdita sè gerebat cum qualibet, ità quòd nèc pauſabat, nèc ambulabat, nèc comedebat, aut bibebat, vel etiàm loquebatur vtcumquè, niſi quantùm, & quandò inuitaretur ab alijs; à quibus ſupèr talibus requiſita quandoquè ſolebat ſpectata moderatione pia voce talitèr reſpondere: ſicùt vobis placet, vel quomodocumquè vultis. Sempèrque cancellatis humilitèr manibus humilitatem moribus, & geſtibus præſignabat mentalem, numquàm alitèr exprimens vocem ſuam; & talis Sermo egrediebatur per linguam, qualis intùs manebat in conſcientia; humilitatem namquè, quæ Magiſtra eſt omnium, materque virtutum, & loquendo dicere, & viuendo conabatur oſtendere; plùs tamèn eſſe appetebat humilis, quàm videri. Si quandò audiret, quemquam in ſui laudem, vel commendationem prorūpere,quamuis leuitèr, sè verbis, & ſignis oſtendebat grauitèr percuti, & lethalitèr vulnerari, infœlicem sè, triſtem, & miſeram vocitando; Iuſtus quippè percutitur, cùm laudatur. Oh quidèm perfectiſſima fœminei ſexus laica, nèdùm à quibus libet ſęcularibus, nèc non & viris Eccleſiaſticis, sèd etiàm ab ipſis regularibus, & Sanctimonialibus imitanda! Quam tantis humilitatis inſignijs manſuetudinis decor ornabat, vt digniſſimè iudicaretur à quolibèt vera Matris Virginis imitatrix. Quam ſiquidèm Dei Matrem tanto deuotionis Zita venerabatur affectu, quòd, vt omittam de multis alijs, quamlibèt etiàm conditionis infimæ

Digitized by Google

mulierem Mariæ nomine nuncupatam, cenſebat ſibi in cunctis meritò præferendam, pio intuitu reuerentiæ Genitricis filij Dei. Ad tantam humilitatis habitudinem, ac perfectionem mitis Zita conſcendit, vt quaſi mortua mundo, obiurgantibus, ſeù improperantibus, maledicentibus, vel iniuriantibus ſibi gratis, aut contumeliam inferentibus, numquàm imperiosè, aut ſiniſtrè reſpondit; Sèd nèc mentem, aut faciem, quantumlibèt moleſtijs laceſſita, curauit oſtendere turbulentam; quinimmò exemplo Domini, qui ſic omnem dimittit iniuriam, vt nèc damnet vlciſcendo, nèc confundat improperando, nèc minùs diligat imputando, ità ſerenitate gratiſſima vultus, modeſtaque cum venuſtate inſons aiebat voce mitiſſima: Parcatis mihi: vèl: ſic indulgeat vobis Deus. vel: nolite turbari, non enim expedit vobis ità loqui, vel agere, sèd magis patientiæ perfectionem ſectari. Ille nimirùm perfectus eſt, qui ergà imperfectionem proximi impatiens non eſt. Prætereà ſi contingeret, quòd Pater, vel Mater familias, aut reliqui ex cauſis emergentibus humano more turbari loquerentur cũ indignatione, vel alitèr conquererentur aduersùs eam, vel aliam perſonam, Zita mitiſſima procidebat ad pedes talitèr indignantium, veniam abſquè culpa petendo humilitèr, & lamentabilitèr muſſitando: oh ſi culpabilis exiſto in iſtis; Nèc facile erat eandem ab hac humilitatis ſpecie prohibere. Et ſi quando à quoquam reciperet læſionem, præuenire læſorem in petenda venia ſatagebat; Hoc eſt enim religionis officium, verbi ſatisfactione curare, ſi qui illi fortè ſunt, qui videntur ſuſpicionum ſpiculis vulnerari; humanæ etenim mentis eſt proprium, hoc ſibi fieri ſuſpicari, quòd facit; arbitrantur enim, ſe deſpici, qui bonorum mores de-

ſpicere

ſpicere conſueuerunt ; tales contrà ſe omnes eſſe ſuſpicantur , quales ipſi eſſe contrà omnes nituntur . Oh quis ſufficiat enarrare, quanto ſtudio , & laboribus aliorum curabat moleſtias ſubleuare in laborioſa cura rei familiaris , & in educatione præcipuè paruulorum ! circà quos viſcera pluſquàm materna geſtabat , anguſtias perferens , & erumnas vice Nutricis aſſiduè . Rè vera mens eius , cùm curas diſpenſationis ſuſcepit , quod ſibi , quod proximis deberet , attendit, & nèc pèr alicuius ſollicitudinis immoderationem ſtudia ſua neglexit , nèc pèr ſuæ vtilitatis vigilantiam aliena poſtpoſuit . Mirum in modum ſic iàm totius perfectionis Magiſtra profecit , quòd internorum curam exteriores occupationes non minuit , ac exteriorum prouidentiam internorum ſollicitudine non reliquit . Tanta deniquè ſe circumſpectione regebat , quòd nullo vnquàm tempore , ſeù loco quemquam hominum ſtudiosè læſit , paruique pendit verbo , vel facto , cuiuſcumque foret conditionis , vel ſtatus ; At meſtis lætitiam , compaſſionem afflictis , deſolatis conſilia ſalutaria, & indoctis monita præſtabat ſalutis , non æquidem lepore diſserendi acutiſſima vrbanitate , aut in doctis humanæ ſapientiæ verbis , sèd in oſtenſione ſpiritus , & virtute ; Plerique nempè eſſe ſe doctos præ omnibus credunt , cùm loqui de incognitis infœliciùs præſumunt , & tantò ſemetipſos credunt doctores oſtendere , quantò sè potuerint loquacitatis multiplicitate aperire . Nimirùm quamuis circà Mundi negotia , cuiuſcumque forent materiæi , vel cauſæ , tantæ ſimplicitatis exiſteret , ac ſi , ab ijs penitùs aliena , de mundo non eſſet , tamèn in omni mandatorum Dei perfectione, & ijs, quæ poſſent ad animarum pertinere ſalutem , & ſacrarum lectionum intelligentiam ſuo modulo tantæ videbatur ſapientiæ , & vir-

Digitized by Google

tutis, vt doctiſſimorum quorumlibet ſtudioſitatem attingeret, lucis æternæ irradiata fulgoribus, vtpotè quam inhabitabat Spiritus Sanctus cunctarum ſcripturarum Magiſter. Profundæ quoquè humilitatis ſigna Dei Ancillæ huiusmodi inerant: amor videlicèt perſonarum humilium, fuga omnium præeminentiarum, deſideriorum propriorum contemptus, officiorum appetitio vilium, nullum ſpernere, meliorum conſilium quærere, contumelias ſermonum patientèr ferre, in omnibus sè obedire paratam inuenire, & in bonis, appetere, celatam eſſe; Et in hoc quidèm vltimo omni commendatione maior inuenta fuit, & excellere vniuerſos. Seruabat nempè cor ſuum omni cuſtodia, ſciens, Dominum eſſe cordium inſpectorem, cui dignum in mente habitaculum indeſinentèr parabat, & idem erat, quod iuxtà illud: Bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere, vbi culpa minimè reperitur, de quibuſvis minutiſſimis, nè dicam, actibus, sèd cogitatibus, & leuiſſimis motibus, ſe ipſam diſtrictè dijudicans, confitebatur lacrymabilitèr, & hũilitèr in foro pęnitẽtiæ Sacerdoti; Quoniã ſæpè mens, quæ aduerſa multa, & fortia ſuperat, vnum in sè, & fortaſsè minimum, quamuis magna intentione inuigilet, non expugnat; Mens quoquè iuſtorum etſi libera eſt à peruerſo opere, aliquãdò tamèn incurrit in peruerſam cogitationem,

DE DILECTIONE, VEL CHARITATE DEI, ET PROXIMI.

EX charitatis fornace procedens zelus ſupernæ ſalutis, vt gladius acutus, & flammeus, adeò Vene-

nerabilis Zitæ ignificata pertranſijt intima, vt tota viderетur æmulationis ardore ſuccenſa, & compaſſionis mærore plagata. Siquidèm animas, Ieſu Chriſti Sanguine pretioſo redemptas, cùm in quopiam cerneret inquinari aliqua ſorde, vel contaminatione peccati, miro doloris aculeo confoſsa, tanta miſerationis teneritudine deplorabat, vt eas tamquàm Mater in Chriſto quotidiè, iuxtà Apoſtolum, parturiret, ſatis exoptans, nè talis inquinatio contigerit ſtudioſa, quià citiùs culpa dimittitur, quæ nequaquàm malitiæ ſtudio perpetratur, & facilè culpa corrigitur, quæ erubeſcitur; Sanè ſtudio peccare eſt, bonum nèc facere, nèc amare. Si quando diceretur eidem, quod quiſpiam ſic, vel ſic malè ageret, vel talitèr agendo peccaret, ſeù quilibet delictum committeret, protinùs excuſabat decentèr, aut id non eſse credendum, aſſerebat conſtantèr, vel ſi narratio veritatem haberet, nullatenùs eſse recitandum, aut aperiendum, ſeù quauis narratione pandendum; Quoniàm proximorum mala, quæ corrigere non poſſumus, ſilentio ſunt tegenda, & tamèn ſic tolleranda, nè in animo virus doloris occultetur. Vehementèr quoquè gemebat, comperto, penitùs fore verum, peccatum eſſe patratum. Quoniàm parùm prodeſſet carnem reſtringere, ſi mens ſe per compaſſionem neſciat in proximi amore dilatare; Et quia nulla eſt caſtitas carnis, quam non commendat ſuauitas mentis, ſuadebat omnibus, quibus poterat, opera pietatis, & charitatis, redemptionem cupiens omnium peccatorum. Sèd nèc effabatur, ſeù pertractabat, vt adulatrix de negotijs alienis, quoniàm hęc non erat ex ijs, quibus nil ſuauius, quàm aliena loqui, & aliena curare, maximè ſi eueniat, vel odio eos, vel amore præueniri, à quibus talibus ſæpè veritas occultatur, & deprauatur. Sed & aures ſuas ſæ-

piuit

piuit à detractionibus, & ſuſurrijs, & ſilentium poſuit cuſtodiam ori ſuo, & oſtium circumſtantiæ labijs ſuis tàm arduum, vt perrarò loqueretur abſquè opportuna conſultatione, vel neceſſaria vtilitate, cauens omninò ab otioſo ſermone, qui eſt quandò caret aut ratione iuſtæ neceſsitatis, aut intentione piæ vtilitatis. Veruntamèn ſępè ſolebat redarguere zelo rectitudinis eos, qui exiſtebant de familia delinquẽtes, quod vt fiducialitèr ageret, ſolerti circumſpectione, quantùm eſt poſſibile humanæ naturæ, ſe præſeruabat à culpa; Nemo enim fidentèr reprehendit, in quo eſse irreprehenſibilem non confidit; humanitatis quippè eſt omnium, in quo ſibi quiſque indulget, alijs non vehementèr iraſci. Dùm audiret prætereà ſonitum Campanarum ad publicam iudicij ſanguinis concionem, prout moris eſt Rectoribus Ciuitatum, dùm quemquam malefactorem habent ad corporis mortem damnare, ſtatim miro exundabat profluuio lacrimarum, ac dulci benignitatis affectu orando dicebat: Succurre Domine animæ miſeri pereuntis, adiuua Domine animam peccatoris; Nèc ceſsabat per triduum, aut quatriduum, vel vſq; ad ſeptimam diem exorare Dominum ſupplicitèr prò liberatione animæ talitèr condemnati. Charitatis igitùr perfectæ feruore, quo hæc Sponſi amica ferebatur ad Dominum paritèr, & ad proximum, ſatis ex præmiſſis poteſt animaduerti, sèd ex eo potiſſimùm, quòd impendere ſemetipſam cupiebat, dùm præferuido animarum zelo transfixa cum Crucifixo Domino, ſalutem ſitiret omnium ſaluandorum; ſciebat nempè, vt dicere ſolebat, quod diligendus erat proximus, & quià Dei præceptum eſt, quià conſors naturæ eſt, quia imago Dei eſt, & quià illum diligere eſt argumentum, nutrimentum, & incrementum dilectionis Dei; Ad cuius feruidam dilectionem ipſam

perua-

perualidè accendebat Diuinarum ergà nos exhibitio miſericordiarum, quam ſæpiùs conſiderabat in eius longanima peccatoris expectatione, & prauæ voluntatis conuerſione, in totius iniquitatis remiſſione, & interna conſolatione, in auxilij fragilitati noſtræ exhibitione ad ſatisfaciendum, ſuſtinendum, & reſiſtendum, & tandèm in merè gratioſa Regni Cœleſtis collatione. Per feruorem ergò charitatis in exercitio vitæ ſpiritualis noua fiebat quotidiè creatura, dùm ſic ageret, vt præſentem mundum deſpiceret, tranſitoria non amaret, mentem medullitùs in humilitate Deo, & proximo ſterneret, contrà illatas contumelias patientiam ſeruaret, & cuſtoditá patientià dolorem à corde repelleret, egenis propria tribueret, aliena minimè ambiret, amicum in Domino diligeret, & inimicos proptèr Dominum, & de proximi afflictione lugeret. Quæ omnia magna fuere in ea ſigna perfectionis.

DE FERVORE, ET PROFECTV TEMPORE PROVECTÆ AETATIS.

CVM igitùr Venerabilis Zita ad ſummam arcem, perfectionemque cunctarum virtutum, & ad prouectam perueniſſet ætatem, Nobiles Homines, quibus diù miniſtrando ſeruierat, ex ipſa diſcreta prouidentia vlteriùs non ferebant illam habere velùt ſuam, sèd Dei Summi Ancillam. Et quęcumque vellet agere, liberè permittentes, eamdem, tàm maturitate ſenilis ætatis, quàm contemplatione celebris Sanctitatis inſignem, congruo venerabantur affe-

ctu;

ctu; Eidem quoque, tanquàm vni ex filiabus, miniſtrabant quæcumque exiſterent oportuna. Zita verò cum feruore ſpiritus ſempèr in ſublimiora conſcendens, paupertatem voluntariam ſempèr ſibi dilectam, amplexari non deſtitit; Nequè ob grauitaté ætatis, quandò videlicèt cæteri ſolent remiſsiùs viuere, nèc proptèr ſexus fragilitatem, ſeù debilitatem corpoream paſſa eſt, auſteritatem ſui curſus molliri, aut diminuere opera pœnitentialia. Sèd nequè conſuetas vigilias, ieiunia, aut reliquas carnis aſperitates voluit ex quauis occaſione deſerere, sèd conſideratione ſollicita gerebat cum magno cautelæ ſtudio vitam ſuam. Ad fructus quoquè vberes coacervandos aptiſſima, & tunſionibus, ac preſſuris innumeris expolita, merebatur amplificis efferri præconijs Sanctitatis; Et ſempèr sè ipsà feruentior, rebus fugacibus ſpretis, in amorem Conditoris mirabilium operum laboribus ferebatur; Omnis enim aſcenſus in labore eſt, deſcenſus in voluptate; quià pèr annixum greſſus ad ſuperiora tenditur, pèr remiſſionem verò ad inferiora declinatur. Cuius quidèm animo labentia cuncti ſubtererant, multùmque rebus omnibus, quæ voluũtur altiùs eminebat, vt nulla iàm, niſi Cęleſtia cogitaret. Iàm verè ſibi cuncta viluerant, & theſauros ſibi cęlicos cumularat. Qui enim ad appetenda æternitatis atria accenditur, dignum profectò eſt, vt ab omni temporalitatis amore laſſetur; Sèd qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenùs delectatur. Sitibunda igitùr, ſicùt Ceruus ad aquas, ad fontem viuum beatæ vitæ, & cęleſtis Patriæ anhelabat, exęſtuans nihilominùs, ad Sponſi Cęleſtis thalamum, tota liqueſcente anima, & anxiante ſpiritu peruenire, ac perfundi ſuauiſſimis dapibus dulcedinis ſempiternæ. Mortem quoquè,quę ferè cunctis eſt pœna, vt vitæ ingreſſum, & labo-

ris ſui

ris ſui præmium, amabat, tantò frigeſcens ſtudio huius ſæculi, quantò ſurgebat ardentiùs in amorem Dei, iugitèr ſecundùm Apoſtolum diſsolui cupiens, & eſſe cum Chriſto: Cùm enim mens in Deum forti intentione dirigitur, quidquid ſibi in hac vita amarum videtur, dulce exiſtimat; omne, quod affligit, requiem putat; tranſire per mortem appetit, vt obtinere meliorem vitam pleniùs poſſit, & ad culmen pertingere fœlicitatis æternæ.

DE MORTE,

ET TRANSITV.

FIdelis, & verax Deus Omnipotens, qui laborantes in pęnitentiæ vinea diurno denario non defraudat; quin immò clamat Euangelica Tuba: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, requieſcere iàm, & reficere volens dilectam Ancillam ſuam, ad cælibes Agni nuptias dignatus eſt eá hoc modo perducere. Lenibus quidèm febribus agitabantur huius iàm vetulæ Virginis imbecillia membra fermè diebus quinque, circà ætatis eius ſexageſimum annum; ac morbo paulatim ingraueſcente, lecto decubare compellitur, cùm tamèn ſui non exiſteret moris pro quauis infirmitate ſe proſternere lectulo, ſèd ſempèr ſpiritus ille promptior vires infirmæ carnis, immò fragiles artus pęnè confecti iàm corporis præ ſenio, abſtinentia, & laboribus ſollicitare ſolebat. Anno igitùr Natiuitatis Dominicæ M. CC. LXXVIII. die xxvij. Aprilis Feria jv. hora iij.

quibuſdam deuotis Mulieribus aſſiſtentibus, fęliciſſima Virgo, & deſiderio Martyr Zita Eccleſiaſticorum Sacramentorum ſuſceptione deuotiſſima præmunita, nulla doloris, vel męroris, ſeù anguſtiæ, & grauedinis ſigna prætendens, intentis in Cęlum oculis, & manibus ſupplicitèr cancellatis, ac mentalitèr orans, & gaudens migrauit ad Cęlos; Et beatiſſima eius anima Trinitatis interminæ potitura, carne ſoluta, in æternæ claritatis, & pacis gloriam eſt abſorpta. Venire nempè non poterat ad perfecta gaudia libertatis, niſi debitum ſolueret humanæ cōditionis. Quantæ nimirùm granditatis foret, & meriti apùd Deum, quantumque in Cœlo meruerit ſublimari, quæ ſe ipſam humilitate profunda ineffabilitèr vilipendit, continuò poſt illius almi Spiritus tranſitum Diuina Bonitas patefecit; Nàm Stella pręfulgida ſuprà Ciuitatem Lucanam, cunctis cernentibus, euidentèr apparuit, cuius aſpectum nèc ipſa ſerena ſolis claritas, ſicùt ſolet ſtellas reliquas, ſubcelabat; Qua quidèm, vt piorum conſideratio diuulgabat, & ſubſequentèr miraculorum multiplicitas comprobauit, euidentiùs patuit, in Sanctorum Cœleſti Roſario, & nouellam Roſam exortam fuiſſe apùd Cœlites, & Lucanam Ciuitatem noui ſideris fore lumine illuſtratam. Ipſa deniquè ſui tranſitus die, is, qui linguas infantium facit diſertas, ex ore infantium, & lactentium laudem perfecit, dùm ſubitò poſt egreſſum illius Animæ fęliciſſimæ in diuerſis Platæis, & Vicis publicis Ciuitatis pueri, nemine nuntiante, ſed Diuino ſpiritu reuelante, indefeſsè clamabant: Eamus, eamus, & curramus ad Eccleſiam Sancti Fridiani, quià mortua eſt Sancta Zita. Sicque auctore Domino factum eſt, vt dùm decentes exequiæ à Viris Nobilibus Faytinellis prò depoſitione Beatæ Zitæ familiaris ipſorum parantur,

tanta indigenarum conuenit vtriuſque ſexus, & ætatis hominum innumera multitudo, vt Eccleſiam dicti Beati Fridiani, prægrandem Clauſtrum, & adiacentes Platæas impleret, & cum difficultate prævalida nimis Theſaurus ille pretioſiſſimus Corporis eius, eiuſdem loci precedente Religioſorum conuentu, in Eccleſiam inferretur; Contendentibus ſanè vniuerſis, & ſingulis diſcordioſo certamine contingere Corpus reuerendiſſimum Famulę Dei Zitæ; Nèc officia funeris potuit Clerus peragere, nèc illud per plurium ſpatia dierum alicui tradere ſepulturæ, quoniàm die, noctuque conſtipata populi multitudo perſeuerabat inſtantiùs circà Corpus, & quiſque, proùt poterat, ob deuotionem ingentem de Veſtimentis eius auferre aliquid ſatagebat, adeò quidèm, vt pluribus vicibus, quibus iteratò induta extitit, remanſerit ſeminuda. Verùm nè diſcerperetur ab eorum irrationabili multitudine, qui oſores ſunt diſciplinæ, quidam fide, & deuotione paritèr promptiores diuerſis ingenijs, & ſimulationibus, transferebant illud Venerandum Corpus, vt erueretur, nunc in Chorum concluſum, nunc in Clauſtrum, nunc in Capitulum, nunc in Refectorium, nunc in Hoſpitariam, & alia Monaſterij loca, concludentes illud in capſis ligneis, quæ tandèm pluriès confractę fuerunt.

DE VARIETATE CVRATIONVM.

INterim, & ſubſequentèr ſigna coruſcant, prodigia nitent, miracula prodeunt, ac intèr ipſas manus, & oculos hominum præ gaudio lacrimantium,

mirabilia crebra, & manifeſta perficiuntur. Hic ſiquidèm cæci vident, & ſurdi audiunt, Manci, & aridi reuireſcunt. Indè claudi, & curui eriguntur, ac muti loquuntur. Ibi febricitantes ſanantur, doloribus anguſtiati curantur, immundi ſpiritus à corporibus effugantur, ſanguinis fluxus reprimitur, partu periclitantibus ſubuenitur, ſteriles fęcundantur, ponderoſi leuigantur, vlceroſi mundantur, morſi, vel capti à bæſtijs eripiuntur. Naufragis ſuccurritur, carcerati laxantur, æquleo torti dolorem non ſentiũt. Ignis in pluribus ardorem, & aqua liquorem omiſiſſe videntur. Ad furcas ſuſpenſi de ipſis mortis faucibus eruuntur; à Medicis ob validiſsimas ægritudines deſperati pèr eam euadunt. Et breuitèr omnium periculorum, damnorum, & ægritudinum genera eius meritis effugantur; Quare nèc fameſcentes, nèc ſomneſcẽtes, neq; caloribus, ſudoribus, & preſſuris grauibus fatigati populi Ciuitatis abire volebant, quin ſaltèm ſucceſſiuè nunc hi, nunc illi ad ſacrũ eius Corpus accederẽt. Venerandæ memoriæ Iacobus Prior præfatæ Eccleſiæ, ſuique Fratres, nullam, vel modicam Sanctitati huiuſmodi fidem accomodantes, quamuis aliàs viri magnæ religionis exiſterent, præhabito prudentium, & etiàm religioſorum Virorum tàm Prædicatorum, quã Minorum Ordinis Fratrum conſilio, & collatione concordi, in lapideo Sarchophago fecerunt concludi dictũ Venerãdũ eius Corpus, redolens immenſum odoris multà fragrantià, expectantes de cõcordi prędictorum conſilio rei exitum, vt videlicèt ſi opus idem foret fictitium, & dumtaxàt humanum, citò deficeret; ſi verò eſſet Diuinum, & de prouidentia Diuina procederet, nemo mortalium poſſet illi reſiſtere, sèd inuito omni contradictore in immenſum proſperaretur, & creſceret, ſicùt de die in diem publicè cernitur adimpletum. Poſt dies æquidèm pau-

cos

cos cępit de tumba, in quo ſacrum Corpus degebat; liquor emanare ſalubris, quo debilium, & ægrotorum quorumlibet membra inuncta reddebantur ſanitati; Et ſicùt ab omni carnali inquinatione Virgineum illud Corpus extitit illibatum, ſic vſquè in hodiernam diem à conſueta diſſolutione, & corruptione aliorum cadauerum permanet alienum, ac integrum perſeuerat, niſi quod aliquantulùm apparet corpulentiæ ſiccioris; Sicùt re vera teſtari poſsũt plures ex S. R. E. Cardinalibus, ac etiàm Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs venerabilibus Viris quàm plurimis, ex diuerſis Mundi partibus aduentantibus, qui viderunt: Nèc non Principum Sæcularium, Baronum, ac Militum, & grandis popularium multitudo occurrentium diuerſis temporibus, qui corporeis oculis conſpexerunt, dùm pia deuotione ad venerationem eius, citrà tamèn iuris prohibitionem, ſæpiùs occurrerunt, & occurrere quotidiè non deſiſtũt, maximè autèm ij, qui in ſuis neceſſitatibus eius ſubuentiones, & beneficia perſenſerunt, quibus in mari, terraque præſidio ad opitulandum aſtitit deuotiùs inuocata; Et quod eſt ſatis deuota admiratione, & miranda deuotione dignum, licèt de ſuæ præeminentia ſanctitatis, & vitæ, ac miraculorum multiplicitate prænimia, nequaquàm fautores, promotores, coadiutores, aut prædicatione diuulgatores vſquàm locorum habuerit, immò contradictores quàmplures, tamèn non ſolùm annuus concurſus infinitæ gentium multitudinis diuerſarum Regionum, Ciuitatum, & Diœceſum penè totius Italiæ occurrentium anniuerſario die ſuæ glorificationis, & tranſitus, eiuſdem ſãctitatis merita proteſtatur, sèd & quotidianus viſitationis occurſus ad ſepulchrum eius venientium, tàm Citràmontanorum, quàm Vltramontanorum quibus præſto adeſt, & affuit in neceſſitatibus, & periculis

con-

contingentibus inuocata, eam apùd Deum inſignem, & exaudibilem, non voce ſolùm, ſed opere aſſerit indicijs, & ſubuentionibus manifeſtis.

Deniquè intèr reliquos, qui de hac ſummi Dei Ancilla miracula conſcripſerunt, Vgolinus Parmenſis Legum Profeſſor diſertus ſic inquit: Quinquaginta tres diuerſarum Nationum, & ſexuum contractionis, ſeù attractionis languore vexatos, ſanauit, quorum quidam in totis ſuis grauabantur corporibus, quidam in certis ſui partibus. Sexdecim verò oculorum aſpectibus carentes curauit, quorum quidam amborum, quidam vnius viſu carebant. Mutos quoquè ſex, quorum quibuſdam morbum natura præſtiterat, quibuſdam ex accidenti prouenerat; Surdos inſupèr quatuor; Dæmoniacos duodecim, plurimos & aliarum infirmitatum, & anguſtiarum doloribus laborantes, fauente pia Virginis interceſſione Diuina Clementia ſanos effecit. Hæc inquit ille. Nos autèm omnis in veritatis aſſertione perſpicua poſſumus atteſtari, quod non tantùm pluribus, quàm Centum quinquaginta diuerſis ærumnis, funereiſque languoribus, & periculis fatigatis miraculosè Beata Zita ſubuenit, proùt de ſingulis prædictorum centum quinquaginta ſingillatim, & in forma publica ſcripſit Vir fide dignus Faytinellus de Melioribus Notarius, teſtibus idoneis, & iuramentis receptis, ſed tanta exiſtit copia multitudinis, quibus diuerſis locis, & temporibus multifariè exhibuit grata ſubſidia, & ſalutes corporeas, ac exhibere non ceſsat, quòd non ſolùm excedunt numerum millenarium, ſed penè incredibilis auditoribus quibuslibet videretur. Ego deniquè ipſe vidi puerum ſuſcitatum, & viuentem, rectè ambulantem, & loquentem, cuius Pater, ſicùt conijci poterat, fide dignus, mè & alijs pluribus præſentibus ad Sancta Dei Euangelia ſpontè iurauit ſupèr Al-

tare,

tare, quod idem vnicus ſuus filius verè fuit mortuus; & ab omnibus, qui illic tùnc aderant verè mortuus reputatus, ſed meritis huius Sanctæ Virginis ad ſuas intentiſſimas preces, & querulosas inuocationes conſiſtebat à morte ſuſcitatus.

MIRACVLVM.

INfrà annum defunctionis huius Ancillæ Dei quidā iuuenis, videlicèt Petrus de Faytinellis, qui ab eadem in Domo Faytinellorum de Luca fuerat enutritus, dùm pèr prouinciam Prouinciæ iter faceret, in grauiſſimam incidit infirmitatem, quæ adeò ipſum affligendo momordit, vt tres famoſi Medici, qui curationi eius ſtudiosè intendebant, de ipſius tandèm conualeſcentia deſperati, concorditèr eumdèm in craſtinum moriturum, & firmitèr ad inuicèm aſſeuerarunt; Quod dùm idem æger intellexiſset, tota mente inuocauit Beatam Zitam dulci, & familiari alloquio, veluti facere puerulus conſueuerat; intèr alia conquerendo, quod cùm abeſset à proprijs, nèc paternum, maternum, vel aliorum ſuorum ſibi adeſſet auxilium, ſubſidium, vel conſilium, non permitteret, eum in exteris partibus mori, ſed ſibi à Deo dignaretur familiare conferre iuuamen. Et ecce nocte ſequenti muliere quadam, quæ ſibi miniſtrabat, nèc dormiente, nèc plenè vigilante, apparuit coràm eo Veneranda Zita in veſte oloſerica, quā varia, & artificioſa textura opificis admirabilem ex-

hibe-

hibebat, coronam eminentem in capite geſtans, groſſis, & pretioſis lapidibus decoratam, ſed vultum vetuſtatis ſuæ, qualem viuens in corpore gerebat, vt à dicto iuuene indubitantèr, agnoſceretur, videbatur habere. Quam quidèm Zitam duo lumina facularum, vel Cœreorum ſplendida præcedebant; Et licèt luminum portitores idem Petrus nequaquàm videret, eam tamèn pleniùs videns citiùs recognouit; Ad quam talitèr eſt affatus: O' Domina Zita mea ſubuenite mihi, qui talitèr ſum deſtitutus, & afflictus, nèc eſt aliquis ex noſtris, qui mihi opem valeat ferre. At illa inquit: noli timere. Et iterùm inquit ille: Quis eſt vobiſcum? Illa verò reſpondit: Tace, noli tantum quærere, conſtans eſto; Extendenſque protinùs manum, appoſuit eam fronti iuuenis ægrotantis, & ipſum ſanauit continuò, ſtatimque ab oculis eius euanuit. Surrexit igitùr ſanus, & inquit ad miniſtram ſuam: Affer mihi manducare, quia ſanatus ſum. At illa dixit: O' fili requieſce vtinàm ſanus eſſes: dicito quoque mihi cum quibus modo loquebaris? audiui enim te loquentem, & aliam perſonam reſpondentem, cum qua ſermocinabaris. Iuuenis itaqè rei ſeriem totam aperuit, adiecitque, quod priùs ipſe videret, & ſciret, illos tres morituros Medicos, qui ipſum pronoſticabantur ad mortem, quā moreretur ipſe; Quod & verè poſt non multum temporis euenit.

Ecce Chariſsimi Deus pacis, qui ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, qui dat Verbum Euangelizantibus virtute multa, exarari voluit geſta Virginis huius ad vtilitatem noſtram, & eruditionem. Ideò enim Sanctorum per litteras tradūtur exempla, vt vnuſquiſque prò qualitate ſexus, & ætate annorum modum ſui propoſiti teneat, & vitam bonorum prò conſiderationis ſpeculo contem-

ple-

pletur. Sèd & ad gloriam præclaræ Virginis Zitæ ſuperiora recenſita panduntur; quibus dùm mõſtrare qualis fuerit, & qualis eſſe quiſque debet inuigilo, pulchrum depinxi hominem pictor fedus, alioſque ad perfectionis littus dirigo; qui adhùc verſor in fluctibus delictorum. Itaquè ò ſplendidiſſima Virgo, Deo, & omnibus Angelis grata, in huius, quæſo, Vitæ naufragio orationis tuæ mè tabula ſuſtine, vt quià pondus proprium deprimit tui me meriti manus leuet; Omneſque ſimùl, quibus poſſumus, precibus exoramus, vt noſtri meminiſse digneris, quatenùs ille nobis indulgentiam tribuat peccatorum cũ proſperitate paritèr, & ſalute, qui tibi omnium tuorum laborum tradidit palmam Ieſus Chriſtus Dominus Deus Noſter, cui ſit laus perennis, & gloria, honor, virtus, decus, & imperium per infinita ſęcula ſæculorum. Amen.



AD LECTOREM.

PAucis cùm ab hinc annis cuiuſdam occaſione Confraternitatis grauis exorta fuiſſet controuerſia intèr P. P. Lateranenſes Sancti Frigidiani, & Familiam noſtram circà dominium vſuale Cappellæ B. Zitæ, à Noſtris Progenitoribus cum reſeruatione Iuris patronatus fundatæ, compulſus fui triplicato Legalis Doctrinæ Clypeo ab Aduerſariorum iaculis iura noſtra tueri, quem, exacto fœlicitèr iam bello, ad pedes Sanctiſſimæ Patronæ vnà cum geſtorum ipſius hiſtoria in anathema obliuionis non abs rè humilitèr offerre, conſtitui.

LVCANA CAPPELLÆ.

R. P. IN honorem B. Zitæ Virginis Familiæ Fatinelliorum (Diuina ſic diſpenſante Bonitate) in Terris Famulæ, in Cœlis Patronæ, Sacellum in Eccleſia Sancti Frigidiani Canonicorum Regularium ordinis S. Auguſtini, Congregationis S. Frigidiani de Luca tunc nũcupatæ, nunc Lateranenſis, proptèr ſubſecutã vn'onẽ, Nellus, Stephanus, Bartholomæus, & Iacobus de Fa-

tinellis conſtruxerunt, & dotarunt, cum reſeruatione Iuris patronatus gentilitij prò vno Cappellano in perpetuum præſentando, qui quotidiè Miſsam celebret in dicta Cappella ad Altare, ſuper quo colitur Venerandum Corpus eiuſdem Sanctæ, illùc delatum Anno M. CC. LXXVIII. ex Ædibus ipſorum de Fatinellis, in quibus B. Zita Miraculorum gloria coruſcans annis quadraginta octo commorata fuerat, donèc de temporali Vita migrauit ad ſempiternam, nouis tunc, & poſteà ſubſequutis Miraculis, illo pręſertim perpetuæ vſquè in hodiernam diem incorruptionis eiuſdem Venerandi Corporis, adeò vt poſſit de hac etiàm Virgine dici: *Non eſt mortua Puella ſed dormit*; De quo Iure patronatus, alijsque præmiſſis conſtat ex publico Inſtrumento recepto per Dominicum Lupardum Notarium Lucenſem die xxv. Octobris Anni M. CCCC. X. in quo antiquiora etiàm recensētur cultus Monumenta præſtita per Familiam de Fatinellis in ſuam S. Patronam.

Anno 1676. homines quidam cupientes erigere Confraternitatem Famulorum, Famularumque ſub inuocatione S. Zitæ, ſupplicarunt Familiæ de Fatinellis quatenùs dignaretur ipſis impartiri Licentiam sè congregandi in dicta Cappella, vt in ſupplici libello per eos porrecto, huius tenoris.

Silueſtro Puccetti, Pellegrino Pellegrini, &c. Seruitori deuotiſsimi delle Signorie Voſtre Illuſtriſsime, con ogni diuota riuerenza, ſupplicando, eſpongono, che eſſendo ſtati deputati dall'Vniuerſale di quelle perſone diuote, che deſiderano erigere vna Confraternita, ò Compagnia ſotto l'inuocazione, & auſpicij della Beata Zita, per ritrouare luogo, doue radunarſi per l'adempimento di queſto loro deſiderio, hauerebbero fiſſato le loro applicazioni in procurare di ottenere la Cappella medeſima, oue riposa il Miracoloſo Corpo della medeſima Beata Zita, poſta nella Chieſa de' Reuerendi Padri Canonici Lateranenſi, volgarmente detti di San Frediano; Mà perche

 per

per l'adempimento di queſte loro ardentiſsime brame è neceſſario far prima ricorſo alle Signorie Voſtre Illuſtriſſime, alle quali, come Padroni di detta Cappella ſi aſpetta il concedere l'vſo della medeſima, perciò à nome di tutti gl'altri di detta Confrateanita le ſupplicano per la conceſſione di tal grazia &c.

Cui ſupplicationi Familia annuit his verbis: *Concedono la facoltà, e licenza di poterſi radunare, e congregare nella loro Cappella di Santa Zita poſta nella Chieſa di San Frediano di Lucca per anni trè proſſimi auuenire, da principiare queſto preſente giorno, con dichiarazione, che ſia ſempre in arbitrio, & autorità di detti Signori Fatinelli di poter riuocare la ſudetta Licenza, e facoltà non oſtante il tempo, come ſopra, preſcritto; e con dichiarazione ancora, e patto eſpreſso, che à detta Confraternita, e Confrati non ſia lecito d'innouare coſa ben minima in detta Cappella circa quelle coſe, che deuono ſtare fiſse nelli muri, ò materiale di eſsa, come ancora circa al farui Banchi, ò Sedili, e molto meno poſsino innouare coſa alcuna circa la Caſsa, doue riposa il Miracoloſo Corpo della Santa, ò ſituazione della medeſima, ò altri ornamenti fatti alla medeſima Caſsa, ſenza eſpreſsa Licenza di detti Signori Fatinelli in ſcriptis, perche così, &c.* vt ex publico Inſtrumento recepto per Vrbinum Parenſium Notarium Lucenſem Anno 1676. die 18. Aprilis.

Licèt autèm Familia de Fatinellis potuiſſet, etiàm currēte triēnio, vt ſuprà, gratioſè prefinito, Cōfraternitate diſceſſum è ſua Cappella indicere ex vi præmemorati pacti, adhùc illius lapſum expectauit, & vltrà; ſed tandèm diè xxiij. Maii preteriti illam iudicialitèr requiſiuit in Curia Epiſcopali per Acta Franciſci Chiocca ad diſcedendum; Ipſa verò agnoſcens, vt par erat, diſcedēdi obligationem diſcederè ſè ſe paratam exhibuit ad tenoré præallegati Inſtrumēti, data ſibi facultate aſportādi quædā ſupellectilia, quam oblationem in vim iudicialis cōfeſſionis, ampliùs non reuocandæ, acceptarunt in Actis D. D. de Fatinellis, & eamdem Confraternitatem interpellarunt ad ſpecificè declarandum quænàm mobilia aſpor-

lia aſportare intenderet, cùm non omnia ornamenta, per eam dicata B. Zitæ aſportare poſſit in caſu diſceſſus, vt cauetur in dicto inſtrumento.

Sed poſtmodùm ad ſuggeſtioné Reuerendiſs. Prioris, & Canonicorum Lateranenſium comparuerunt *quidam Confratres*, & dixerunt, non teneri diſcedere, ex quo *dicti Prior, & Canonici intendunt, & volunt, quod dicta Confraternitas continuet in eodem loco*.

Die tamèn xij. Auguſti proximè præteriti coadunata Confraternitas, quià ibi ſalus, vbi multa conſilia, decreuit per ſecreta ſuffragia omnia affirmatiua, renũciari per ſuos Deputatos D. D. de Fatinellis, ſè promptam diſcedere, conſignatis ſibi Mobilibus *extrà Eccleſiam*, & hoc proptèr timorem his rudibus hominibus incuſſum ex minis, & iactationibus R.R.P.P. Lateranenſium, ſi ipſi accederent ad aſportandum propria Mobilia.

In hoc rerum ſtatu, quamuis D. D. de Fatinellis poſſent de facto tueri iura, & præeminentias ſuas aduerſùs turbationes, & moleſtias ſibi in patronali Cappella illatas à P. P. Lateranenſibus, vt docent poſt alios *Gratian. diſcept. for.* 110. *num.* 16. *& diſcept* 210. *num.* 32. *Valenzuel. conſ.* 18. *lib.* 1. *Genuen. in prax. Cur. Neapolit. cap.* 23. *num.* 24. *verſ. caterùm, & num.* 25. *Clar. mem. Card. Albitius. in addit. ad Deciſ. Innoc. X. la* 717. *n.* 7. ſicque propria auctoritate amoueri facere ſcamna, & ſupellectilia, eaque exhibere Confraternitati petenti; Nihilominùs ſequendo pietatem ſuorum Progenitorum, qui ergà P. P. Lateranenſes beneuoli, & benefici ſempèr fuerunt, vt Prior, & Canonici Anteceſsores Modernorũ falſi fuerunt in antedicto Inſtrumento anni 1410., intendunt prò nunc in medium afferre rationes, quibus euincitur, non poſse eoſdem Canonicos sè opponere receſſui Confraternitatis, & aſportationi ſuppellectilium illius.

Etenim

Digitized by Google

Etenim prætermiſſa reſponſione, vtpotè non neceſſaria, ad ea, que *Lotterius* inſenſiſſimus Iuri patronatus Laicorum de ſuo capite profert *lib. 2. de rè beneficiar. cap. 3.* dùm conatur oſtendere, iuspatronatus eſſe odioſum, & non ex veteri Canonum cenſura, ſed iure nouo Laicis potiùs toleratum, quàm datum, & ex *Lotter.* tranſcribit præſtantiſſimus P. P. Lateranenſium Aduocatus in ſuę Conſultationis Proemio; Tùm quia argumẽta hæc nimis à longè petita, & ad Cauſam non facientia, reijcere ſuperfluum videatur mihi, ſcribenti more Romanæ Curiæ, in qua Philacteriæ, & multiloquia non leguntur, ſed nauſeam excitant, teſte *Dec. conſ. 699. num. 3.* Tùm quia ab huiusmodi obiectis Iuſpatronatus Laicorum pręuentiuè vindicatum video à *Io: And. in cap. quod alicui. de Reg. Iur. in 6. & à Suar. de Relig. Tom. 1. lib. 4. cap. 28.*, vbi diſertiſſimè probat, iuspatronatus Fundatoribus non tàm ex gratia donatum, quàm debitum ex iuſtitia, & non ex iure nouo, ſed antiquiſſimo, & coæuo primis Sacris Canonibus emanaſſe;

Prætermiſſaque etiàm prò nunc quæſtione, quam idem Lateranenſium Aduocatus primo aſſumit loco, an Patronus in Cappella patronali habeat ius dominij, tamquàm ſuperflua ad effectum, de quo agitur; Indubium eſt', ipſum habere ius vſus, & commoditatis *Lambertin. de Iure pat. lib. 3. art. 4. quæſt. 5. num. 13. pag. 1057. Rederic. qq. Regular. Tom. 3. q. 58. art. 10. Melchior. Phoeb.* verè Phœbus, cùm in hac materia omnem fugauerit dubitationis vmbram, *dec. Luſitan. 8. num. 8. Rot. dec. 787. num. 4. p. 1. diu. Add. ad Gregor. dec. 145. num. 5.* hoc autèm ſufficit, vt non poſſit Rector Eccleſiæ, poſtquàm vni conceſſit vſum loci prò Cappella patronali in Eccleſia conſtruenda, vel dotanda, Confraternitatem in Cappellam inducere, vel retinere inuito Patrono; Nàm de iure eſt quod in fundo, in quo quis habet vſum, non poteſt Dominus fundi habitare, vel alteri

habi-

habitationem concedere, inuito vſuario *L. ſi habitatio §. ſed ſi. ff. de vſu, & habit. l. licèt §. Diuuſ. ff. eod.*, vbi etiāſi totus fundus ſit vſuario ſuperfluus, adhùc non poteſt Dominus de ſuperfluo diſponere, *& l. final. ff. eod.* vbi etiamſi vellet alium inducere cauſa melioris boni, quo argumento in propria materia vtuntur *gl. in cap. nobiſ. verbo. in Cappella. circà medium. de iur. pat. Lambertin. eod. tract. vbi ſup. Clar. mem. Card. de Luc.* paritèr *de Iurepat. diſc. 52. num. 12. verſ. quemadmodùm enim proprietarius. Valenzuel. conſ. 18. nū. 50. lib. 1.*, vbi quod nèc ſub ſpecie augendi cultum Diuinum. *Rot. cor. Coccin. dec. 291. per tot.*

Hinc meritò *Rot. in Calaguritana Erectionis Cappellæ cor. Dunozett. ſen. intèr eius impreſſas dec.* 330. dixit, non poſſe in Eccleſia patronata erigi Cappellam, inuito Patrono, nè dùm de Licentia Rectoris Eccleſiæ, ſed nèc Epiſcopi, rationem reddens, quod hæc conceſſio vſus licèt non præiudicet Iuri patronatus quoàd præſentationem, eſt tamèn quædam ſpecies alienationis loci patronalis, cui Patronus poteſt de iure sè opponere.

Et in Taurinen. Scamni. cor. Eminentiſſ. Card. Cerro. intèr impreſſ. dec. 843. dixit, Epiſcopum haud poſſe dare Licentiam retinendi Scamna in Eccleſia patronata ad audiendum Diuina, & Verbum Dei, reluctante Patrono, ad quem ſpectat defendere propriam Eccleſiam à qualibèt ſeruitute, ſicuti eſt conceſſio vſus, ſeù commoditatis habendi Scamnum. Qua deciſione adducta, idem comprobat *Clar. mem. Car. Albitius in addit. ad iàm dictam deciſionem S. Mem. Innoc. X. la* 717. *nu.* 7. & tamèn nemo non videt, quantùm tendant ad augendum Diuinum cultum, Populique pietatem fouendam erectio Cappellæ, & retentio Scamni in Eccleſia Patronali, cùm inſeruiant ad Diuina facienda, & audienda, & nihilominùs permitti non poſſunt ſinè conſenſu Patroni; quod ſumma animaduerſione dignum eſt, vt indè eradicetur prætextus Diuini cultus, adeò ex aduersò ma-

gnifi-

gnificatus, cùm ex premiſſis inſufficiens ſit àd ea, de quibus agitur.

Et quæſo aduertatur, qud Rota in præallegatis Deciſionibus *Dunozz. & Cerr.*, dùm cenſuit, non licere Rectori, aut Epiſcopo Licentiam concedere conſtruendi Cappellam, aut Scamnum ponendi in Eccleſia Patronali, diſſentiente Patrono, proceſſit cum terminis alienationis, & cōſtitutionis ſeruitutis, cùm vtrumque ſapiat huiuſmodi Licentia, ideò ſicuti Rector Eccleſiæ alienare non poteſt Cappellam Patronalem *Capoll. de ſeruit. vrb. cap. 71. num. 12.*, inuehens in Religioſos, qui quandoquè eas alienant, quos propterea dicit eſſe puniendos *Lambertin. de Iur. pat. lib. 3. quæſt. 5. art. 5. n. 13 pag. 1057.*, ità nèc in ea ſeruitutem vſus alteri permittere, qui enim non poteſt alienare, nèc poteſt ſeruitutem conſtituere in rè, alienari prohibita *l. fin. C. de reb. alien. non alienan. Portol. de Conſortib. cap. 12. num. 3.*

Euertitur ex his & aliud aſſumptum, cui tamquā baſi, & fundamento ſcriptura P. P Lateranenſium innititur, nempè nil aliud Patrono eſſe conceſſum à Iure, prætèr ius præſentandi, & habendi alimenta, ſi vergat ad inopiam, & proceſſionis, ſeù occurſus, quandò vadit ad Eccleſiam *ex cap. nobis. de Iurepat. cum alijs exad. adductis.*

Quià prætèr hęc competit Patrono Eccleſiam defendere ab omni alienatione *can. filijs. & can. decernimus. 16. quæſt. 7. Abb. in d. cap. nobis. num. 7.*; ſub alienatione autèm venit etiàm ſeruitutis conſtitutio ex ſupèr allegatis, à qua paritèr fas eſt Patrono Eccleſiam tueri *Rot. cor. Cerr. d. dec. 843. num. 1.*

Vt autèm omnis in hac materia æquiuocandi tollatur occaſio, diſtinguere oportet intèr Cappellas ſimplicitèr fundatas in Eccleſia ab aliquo, vti Benefactore Eccleſiæ, nullo inibi conſtituto Rectore ad peragenda Diuina, nullaque aſſignata dote prò rectoris ſubſtentatio-

ne;

ne; Et fundatas cum dote, & reſeruatione Iurispatronatus, & prẹſentandi Cappellanum, vt in præſenti.

Primo enim casu Cappella non dicitur Cappella illius perſonæ, vel Familiæ, ſed Cappella Eccleſiæ, in qua ſita eſt, tāquàm conſtructa per Benefactorē Eccleſiæ, & ideò ſicuti ipſe benefecit, ità poſſunt alij benefacere, & Cappellam ornare, & officiare abſquè illius conſenſu.

Secundo verò caſu dicitur Cappella illius, qui eam fundauit, aut dotauit, & eo inuito non poteſt alius in ea sè ingerere, vt accuratè diſtinguendo caſum à caſu docent *Lambertin. de iurepat. lib.* 3. *artic.* 4. *queſt.* 5. *num.* 8. *&* 9 *pag.* 1057. *Rocch. de Curt. eod. tract. verbo: & dotauit. num.* 3. *verſ. hæc tamèn intellige. Genuen. in prax. Archiep. Neapolit. cap.* 109. *num.* 4.

Rè vera enim Deciſiones, quæ firmant, in Cappella vni conceſſa poſſe per Rectorem Eccleſiæ alios ad ornandum, officiandum, & benefaciendum admitti in augumentum Djuini cultus, loquuntur in Cappella conceſſa ſinè reſeruatione Iuriſpatronatus, nempè *dec. Seraph.* 652. *& Eminentiſs. Cerr. in Pampilon. Cappella. dec.* 653. *&* 686. & cum eadem diſtinctione loquitur nimis, sèd immeritò, exad. magnificata *dec.* 308. *par.* 4. *rec.* vt patet ex illius lectura *num.* 3. vbi habetur, quod non conſtabat de Iurepatronatus, nèc de iure ſepulturæ in Eccleſia, ad fauorem illius, qui ſe opponebat conſtructioni Cappellæ, & Sepulturæ in Cẹmeterio eiuſdem Eccleſiæ.

Hoc manifeſtiſſimè comprobatur id aduertendo, quod Lateranenſium Aduocatus aduertere noluit, cùm Deciſionem illam 308. ſubtilitèr diſcutiens in ſuorum Clientum rem adduxit nedùm, ſed conatu repetito pertraxit; In ea nimirùm Deciſione agi de Eccleſia Conuentuali Fratrum S. Franciſci; Certi enim Iuris eſt, iuſpatronatus in Conuentuali Eccleſia ex fundatione, vel dotatione non acquiri *quo ad ius præſentandi, & priuatinè*

 ſepel-

ſepeliendi ſinè Apoſtolico Priuilegio in ipſa fundatione obtento cùm Prçlatus per liberam Fratrum Electionem debeat aſſumi, & ipſi facultatem habeant quemlibet Chriſti fidelem ad ſepulturam in eorum Eccleſijs admittendi; Sed acquiri tantùm *quoad praeminentias* enumeratas *in cap. nobis cum gl. ibi communitèr recepta verbo. de ſua. verſ. vel expone. de iurepat. & in magiſtralibus deciſionibus Caualer.* 265. 321. 336. & 445. Ideò non mirum ſi eo in caſu, quo non conſtabat de iure patronatus, vt prænotaui, & quatenùs conſtitiſſet, illud erat ad cęremonialia reſtrictum, Rota cenſuit potuiſſe Fratres Sancti Franciſci locum in eorum Cæmeterio pro Cappella, & ſepultura aſſignare, non requiſito fundatoris aſſenſu.

Vltrà quàm quod cùm ibi ageretur de Eccleſia, & Conuentu Fratrum Mendicantium S. Franciſci, certè non fuerat per Fundatorem conſtituta dos, cùm illam Mendicantes non recipiant proptèr eorum incapacitatem habendi immobilia; E' conuerſo autèm hæc omnia in præſenti concurrunt, nempè fundatio, Dotatio, Reſeruatio iuriſpatronatus, & præſentandi Cappellanum, & priuatiuæ ſepulturæ, ac vſualis Dominij totius Cappellæ, aliaque plura, de quibus in præmemorato inſtrumento; Dicta itque *Deciſ.* 308. *p.* 4. *rec.* intelligenda eſt cum præadducta diſtinctione intèr Benefactorem, de quo loquitur, & Patronum verè, ac propriè ſumptum; nàm alitèr intellecta pugnaret contrà aperta Iuris principia, & contrà tot alias poſteriores Rot. deciſiones mox recēſitas, illā præſertim *Dunozett.* 330. ideòque in nulla penitùs habenda eſſet conſideratione.

Dixi in principio, ſuperfluum eſſe examinare quæſtionem, an Patronus habeat dominium Cappellæ, cùm ſufficiat, illum habere vſum, & commoditatem ad effectum, nè eo inuito poſſit per Rectorem vſus alteri communicari, & ſatis probaui ex præmiſſis; Addo nūc

ex abun-

ex abundanti, illum habere dominium; non quidèm prout locus ſacer eſt, & Deo dicatus, nàm in hoc ſenſu Cappella in nullius dominio eſt, nèc etiàm Rectoris Eccleſiæ, ſed ſolius Dei, iuxtà notiſſima Iuris principia; ſed quià Cappella ratione materiæ eſt quid temporale, hinc fit, vt ſit in dominio Patroni, & per eum vendi poſſit, immò & per illius Creditores ad haſtam poni, ſicuti alia bona, & iura *Suar. de Relig. Tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 45. *num.* 12. *ad fin. num.* 13. & clariùs *num.* 18. *Acoſt. de priuileg. Credit. reg.* 3. *ampliat.* 53. *num.* 108. *& ſeq. Olea de ceſſion. iur. tit.* 3. *queſt.* 8. *num.* 23. *Nogerol. alleg.* 36. *num.* 23. *& plurib. ſeqq. Gratian. diſcept.* 110. *num.* 6 *&* 10 *Barboſ. de iur. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 17. *Salgad. in labyrint. Credit. p.* 3. *cap.* 5. *n.* 48. *Melchior. Phęb. dec. luſit.* 8. *per tot. Clar. mem. Card de Luc. de Iurepat. diſc.* 52. *num.* 10. *& diſc.* 53. *num.* 3. Qui omnes eam concorditèr rationem afferunt quod ſicuti vſus loci, vel materialitas poteſt per Eccleſiam vendi laico, cùm ſit quid temporale, abſtractum à ſpirituali, ità multò magis vendi, aut alio titulo transferri poteſt per laicum, poſtquàm ad eius manus peruenit, tamquàm res pretio ęſtimabilis.

Hactenùs dicta de vſuali dominio Cappellæ, competente Patronis priuatiuè quo ad alios, quę vniuerſalitèr, & in abſtracto vera ſunt, veriora apparent in pręſenti, ex quo in Inſtrumento Anni 1410. reſeruatum fuit Familiæ de Fatinellis, nè dùm ius præſentandi *Cappellanum, & habendi propria Sepulchra, ſed data facultas prohibendi in tota Cappella Sepulturas caeterorum, nec non faciendi in eadem Cappella in perpetuum quęcumque ędificia, de quibus eis videbitur, & quod nullum poſſit eis impedimentum dari, vel praſtari per Priorem, & Cononicos quouis quæſito colore, & quod poſſint. in d. Cappella, & in eius circuitu intùs, & extrà, depingi, vel ſculpi facere in marmore eorum Arma, cum prohibitione, quod in dicta Cappella, vel in eius circuitu ſint, vel eſſe, & ſtare poſſint alia Arma, niſi dumtaxàt dicta Progeniei*

 de Fa-

de Fatinellis ; & quod Ven. Corpus B. Zitæ ad aliud Altare ; vel alium locum non transferatur , ſed ibi ſtet in perpetuum ; Quæ omnia oſtendunt omnimodam translationem vſualis dominij , & materialitatis Cappellæ in Familiam de Fatinellis .

In quorum corroborationem accedit obſeruantia , optima quorumcumq; contractuum , & diſpoſitionum interpres . *L. ſi de interpretatione ff. de legib.* cum cōcordātibus apùd *Pan. dec. 261. n. 8.*

Nam Anno 1623. Amadea Malaſpina Marchioniſſa Panicalis Lucæ occumbēs cùm humari cuperet in Sacello B. Zitæ, ergà quam eximiæ deuotionis feruebat affectu , aſſenſum petijt à Familia de Fatinellis , vt Elogium ſepulchrale teſtatur è conſpectu Altaris marmore inſculptum , in hęc verba:

D. O. M.

Amadea Sabaudienſi Baroniſſa
De Chivvirum Coniugi dilectiſſima
Omni Virtutum genere conſpicuę
Difficillimis morbis diutiùs implicitæ
Medicorum Lucenſium , quibus quàm maximè fidebat
Peritiam nondùm experta
Pręueniente morte , hìc, aſſentientibus Dominis de Fatinellis
humatę
Oppitius Malaſpina Sacri Rom. Imperij Marchio
Panicalis , & Liuiana Dominus
Proprijs , piorumque votis requiem precatus
Mæſtiſſimus ponendum curauit .
Vixit ann. xxxij. Obijt iv. Idus Maij
M. DC. XXIII.

Anno

Anno 1652. Venerabile Corpus B. Zitæ nouis, pretioſiſſimiſque veſtibus indutum, repoſitumque fuit in noua, & elegantiori Arca ſumptibus D. D. de Fatinellis, quorum ſtemmata reperta fuerunt duplici in loco inſculpta intùs antiquam Arcam per ſæcula antè conſtructam, iterùmque inſculpta in noua; Toto triduo, quo translatio, veſtitio, & repoſitio Venerandi Corporis peracta fuit, duo ex Familia Noſtra continuò aſtiterunt tanquàm vigiles ad eiuſdem Venerandi Corporis cuſtodiam, receperuntque à Reuerendiſs. Priore, cui tanquàm Sacerdoti Sacras Reliquias contrectare fas erat, tunicam, & linteamina, quibus illud operiebatur, Puluinar, & Sarcofagum, ſupèr quibus iacebat, vt de his omnibus conſtat ex tribus publicis documentis receptis diebus 17. 20. & 27. Maij dicti Anni 1652. per Iacobum Motronum Lucenſem Notarium.

Anno 1653. cùm Canonici Lateranenſes ad perficiendam eorum Monaſterij reſtaurationem, illudque redigendum in nobiliorem, & vniformem ſtructuram, cuperent immutare formam duarum feneſtrarum Cappellæ, proſpicientium in eorum Clauſtium, nèc non habere tranſitum ſupèr vno ex Arcubus dictę Cappellæ ad effectum conſtruendi Chorum ligneum ſculptũ, & deauratum, qui eſſet, & ornamento Capellæ, & commoditati ipſis Canonicis ad pſallendum Diuina nocturno, vel hyberno tempore, capitularitèr congregati Licentiam, & gratiam petierunt à Familia de Fatinellis, expreſsè declarantes, præmiſsa *non poſſe peragere abſque gratia, & Licentia eiuſdem Familiæ*, vt latiùs ex publico Inſtrumento 27. *Februarij* 1653. recepto per Carellum de Carellis publicum Lucenſem Notarium.

Extat Panormi perauguſtum Templum ſub inuocatione S. Zitæ, cui annexum inſigne Cænobium Fratrum Prædicatorum; Hi Anno 1663. exoptantes Templum illud aliquibus, vèl perexiguis, eiuſdem S. Vir-

ginis

ginis Reliquijs ditari, in augumentum publicæ inibi vigentis ergà eam pietatis, curarunt ab Archiepiſcopo ſuo preces porrigi Sereniſſimæ Reipublicæ noſtræ Senatui, vt eorum, & Panormitanæ Ciuitatis votis dignaretur annuere; Ipſi verò Prior, & Fratres ſupplicem Epiſtolam ad Familiam noſtram pro habendo aſſenſu miſerunt in hæc verba.

Illuſtriſs.^mi Sig.^ri e Padroni Col.^mi

Monſignore Eccellentiſſimo, e Reuerendiſſimo Arciueſcouo di queſta noſtra Città di Palermo è tanto diuoto della Verg. S. Zita, che già quattro Cento Anni ſerui nella Caſa delle Signorie Voſtre Illuſtriſſime, che hà procurato con ſue Lettere dirette, e inuiate à coteſto Eminentiſſimo Cardinale Bonuiſi, ed all'Eccellentiſſima Republica di Lucca d'impetrarne alcuna Reliquia per riporla in queſta noſtra Chieſa, che è forſe vnica nel Chriſtianeſimo, ſotto il titolo di Santa Zita. La Città isteſſa parimente di Palermo, come che dell'isteſsa Santa Deuotiſs. ne viue con anſietà straordinaria, e come quella, che ne tempi paſſati in riguardo alla deuotione ardente che à queſta Santa profeſſa gl'hà contribuito tante elemoſine, che ſe n'è fabricato queſto noſtro Conuento, e ne hà acquiſtato tante rendite, che mantiene preſſo à Cento Religioſi, hà ſempre deſiderato in eſtremo d'hauere qualche Reliquia della medeſima Santa; E perche noi nella Vita di Eſſa, che di continuo ſi legge habbiamo ritrouato, che molto ci può aiutare per ottenerla la buona gratia delle Signorie V. V. Illuſtriſſ. come, che ne tengono cura particolare; e riſeruano appreſſo di loro vna Chiaue della Caſſa, doue ſi conſerua il dilei Venerabiliſſ. Corpo, ricorriamo ſuppliche uoli alle Signorie Voſtre Illuſtriſſime, perche ne honorino di operare, e cooperare, che queſta noſtra Città, il noſtro Santo Paſtore, queſta noſtra Chieſa, di cui Ella è titolare, e Protettrice reſti honorata, e fauorita di qual-

che

che parte di quelle Santiſſime Oſſa, à fine, che eſponendoſi alla publica adoratione, ſempre più ſi rauuiui la Deuotione verſo di Eſſa, potendoſi aſſicurare le Signorie Voſt. Illuſt. che verranno nel medeſimo tempo con queſto fauore à concorrere alla maggior Gloria di Dio, della Santa Vergine Zita, di coteſta Illuſtriſſima, & Eccellentiſſima Republica, e della loro Illuſtriſſima Caſa, e ſi potrà fare vn'argomento della loro euidente Pietà, mentre dalla Caſa loro ſino la ſeruitù arriuaa al colmo d'vna Santità così grande. La noſtra Religione poi, e ſingolarmente queſto noſtro Conuento, di cui Io mi trouo Superiore, quantunque indegno, reſterà alle Signorie Voſtre Illuſtriſſime con obligatione perpetua, e nel poſſeſſo d'vna Reliquia tale deſiderata già dugento Anni hauerà eterna Memoria, ſi ne Sacrificij, come nell'orationi di tutti queſti Religioſi delle Signorie Voſtre Illuſtriſſime, per la ſalute, e grandezza delle quali pregherà ſempre S. D. M. Io per tanto non voglio attediarle di vantaggio, mà rimettendomi à quello, che più diſtintamente potrà ſignificarli il P. Noſtro Spada Latore della preſente, il quale à poſta ſi è traſferito coſtà per queſta cauſa, faccio alle Signorie Voſtre Illuſt. con tutti i miei Padri di queſto Conuento humiliſſima riuerenza, e le auguro tante conſolationi, che ſiano valeuoli à corriſpondere con giuſta miſura à i loro deſiderij.

Palermo l'vlimo di Settembre 1663.

Delle Signorie Voſtre Illuſtriſſime.

Deuotiſſ. & Humiliſſ. Seruitore
F. Antonio Cipriani da S. Angelo
Priore di S. Zita di Palermo
De Predicatori.

Quibus tamèn ſupplicationibus, noſtra reclamante familia, Senatus pro ſua ſumma Religione Venerandi

Corporis

Corporis nè Diuinitùs hùc vſquè cuſtodita humanis auſibus temeraretur integritas, denegauit aſſenſum.

Anno 1676. etiàm Prior, & Canonici conceſſerunt (non vocatis tamèn D. D. de Fatinellis) Confraternitati facultatem accedendi ad Cappellam *eo quod non ſit ad eam acceſſus, niſi per eorum Eccleſiā*, & dūmodò Cōfraternitas obtineret priùs aſsensum D. D. de Fatinellis his verbis: *Ogni volta che dalla medeſima ſiaſi prima ottenuto il conſenſo dalli Signori Fatinelli Padroni di detta Cappella, ſenza però concedere Chiaui, ne altra coſa, che in progreſſo di tempo poteſse far credere à detta Compagnia d'hauer acquiſtato alcuno ius, tanto più, che ſenza paſſare per detta Chieſa di S. Frediano non ſi puol andare in detta Cappella*, vt conſtat ex publico Inſtrumento 31. Martij 1676. recepto per ſuprà memoratum Carellum de Carellis; ex quibus luce meridiana clarius apparet, ipſos Priorem, & Canonicos agnouiſse, ſibi haud licere quidquàm concedere Confraternitati in, & circà vſum Cappellæ, ſed hoc ſpectare ad D. D. de Fatinellis, dùm eorum conſenſum prçcedere neceſſarium duxerunt; qui enim alterius Licentiam exquirit, fatetur, abſquè ea ſibi non licere, & non sè, ſed illum eſse Dominum *Bald. conſ. 290. num. 6. verſ. quæ Licentia eſt collatio libertatis. lib. 2. Rot. cor. Coccin. dec. 375. num. 13. & 14. cor. Buratt. dec. 222. num. 2 & 3. & in rec. p. 7. dec. 116. num. 20.*

Animaduerſo præſertim, quod Prior, & Canonici conſenſum D. D. de Fatinellis reſeruarunt per viam conditionis importatæ per illa verba: *Ogni volta, che dalla medeſima ſiaſi prima ottenuto il conſenſo de' Signori Fatinelli Padroni di detta Cappella*; Ea eſt autèm conditionis indoles, vt actum ſuſpendat, & nihil ponat in eſſe, antè quàm purificetur *L. ſi quis ſub conditione ff. ſi quis omiſs. cauſ. teſtam l. cedere diem. ff. de verbor. ſignific.* cū cōcordantibus *apud ſurd. conſ. 322. n. 26.* vndè Prior, & Canonici faſſi ſunt, eorum Licentiam nullius eſse virtutis; ſed pende-

rea à

re à conſenſu D. D. de Fatinellis, eique famulari.

Demùm anno proximè elapſo 1685. dùm ageretur de reficiendo Tecto Cappellæ, Prior, & Canonici conſtantèr recuſarunt nèc obolum impendere, quamuis Familia de Fatinellis allegaret, eos teneri, & tamquàm Rectores Eccleſiæ, & tamquàm Rectores Cappellæ, cuius pingui dote ipſi fruuntur; At illi replicarunt, Cappellam eſſe quid ab Eccleſia diuerſum, & per ſe ſtans, & sèsè nihil habere agere circà materiale Cappellæ, ſed illud ſpectare ad Patronos; Et propterea ego ſcribens, tamquàm vnus de Familia, bono ſpiritu ductus, litem diremi, Tectum reficiendo ęre proprio cum notabili impenſa. Hæc omnia cùm nota ſint Eminentiſsimo D. Epiſcopo, & Reuerendiſs D. Vicario, & toti Ciuitati, in eis vltrà non immoror.

Sed tranſeo ad aliud aſſumptum, nupèr excitatũ à R.R. Priore, & Canonicis, ipſos nempè eſſe huius Cappellę Compàtronos, ratione ſoli, in quo Cappella per D.D. de Fatinellis conſtructa eſt, & dotata, per ea, quæ tradunt *Abb. in cap. 3. num. 11. de Eccleſ. ædificand. & in cap. cùm Eccleſ. num. 8. de elect. & Felyn. in cap. cùm Venerabilis. de except.*

Quod tamèn aſſumptum nullius eſt momenti, & prorsùs ſpernendum; Quià licèt admittatur in via diſputatiua ad exercendum in ſcholis ingenia Tyronum, in praxi tamèn, & apùd ſubſellia Iudicum de communi totius Orbis conſuetudine reijcitur, teſtibus *Roch. de Curt. de Iurepat. verbo. & dotauit. num. 1. & 2. Lambertin. eod. tract. lib. 1. p. 1. quæſt. 8. art. 6. num. 3. & 4. pag. 169. Viuian. eod. tractat. lib. 1. cap. 2. num 59. & lib. 2. cap. 7. num. 49. Gonzal. ad reg. 8. gloſ. 10. num. 12. Card. de Luc. de Iurepat. diſc. 53. num. 6. Rot. cor. Duran. dec. 92. num. 25.* vndè poterat in pręſentiarum omitti.

Et vtinàm Reuerendiſs. Prior fuiſset recordatus hoc ſuum Iuſcompatronatus adducere tempore mox memo-

 ratæ

ratæ reparationis Tecti, quia & ipſe contribuiſſet ad ſumptus in eam neceſſarios; Nunc verò illud allegare eſt ire contra dictamen naturalis rationis, inſertum *in l. ſecundùm naturam. ff. de reg. Iur.* Æquum enim non eſt, vt Familia de Fatinellis vltrà onus iàm à progenitoribus ſuſceptum conſtruendi, & dotandi Cappellam, ſentiat illud etiàm eam ſartam, tectamque ſeruandi, Reuerendiſs. verò Prior fruatur commodo, & præeminentia alijs concedendi vſum Cappellæ, vt ſapientiſſimè ratiocinatur *Card. de Luc. de Iurep. diſc. 52. num.* 12.

Quod abſurdum magis vrget, magiſque vitandũ prò bono publico in Patria noſtra, in qua mos iſte religioſiſſimus inualuit conſtruendi, & dotandi Cappellas in Eccleſijs Regularium cum reſeruatione Iuris patronatus, adeò vt vix aliqua reperiatur Eccleſia, in qua non extet alicuius Nobilis Familiæ hoc inſigne pietatis monumentum; ſi enim admittatur hoc, hactenùs inauditum, Iuſcompatronatus cum Rectoribus Eccleſiarum, profectò nullus impoſterùm facultates ſuas in hoc pium Opus impendet, quod eſt & innumeras excitare lites, ac turbationes, & Laicos retrahere à Cappellarum conſtructione, contrà mentem, & diſpoſitionem Sacrorũ Canonum.

Verùm dato per malam hypotheſim, P. P. Lateranenſes eſſe Compatronos huius Cappellæ, non indè ſequeretur, eos poſſe Confraternitatem inducere, vel retinere in Cappella, inuitis Compatronis, reſiſtunt enim Iuris regulæ, quod in rè communi melior eſt conditio prohibentis *l. parietem. ff. de ſeruit. Vrban. l. Sabinus. ff. com. diuid.* Quod ſocius non poteſt ſeruituti ſubijcere rem ſocialem *l. vnus ex ſocijs. ff. de Seruit. ruſt. l. 2 ff. de Seru. l. fin. ff. com. prædior.* & quod vnus Patronus non poteſt præiudicare Compatronis ſinè eorum Mandato. *Duran. deciſ.* 147. *num.* 14.

Hactenùs dicta, ni omninò fallor, euincunt, nullum ius competere P. P. Lateranenſibus retinendi Confraternitatem

nitatem

nitatem in Cappella, inuitis Patronis, quatenùs Confraternitas vellet in Capella permanere, ſed cùm Confraternitas ipſa iudicialitèr, & extraiudicialitèr, vt initio pręmiſi, declarauerit, nolle permanere, irrationabilior indè detegitur P. P. Lateranenſium conatus, eam retinendi inuitam, & detrectandi reſtitutionem Supellectilium, & Arneſiorum illius; Confraternitates enim Laicorum nullum ius, aut ſtatum, niſi familiaritatis, acquirunt in Eccleſia, ſeù Cappella, in qua receptæ ſunt, & ſicuti poſsũt quandocumquè expelli, ità & recedere *Rot. cor. Coccin. dec. 472. num. 8. Ricciul. lucubrat. Eccleſiaſtic. lib. 4. cap. 3. num. 7.* Quod vnum argumentum, quandò cætera deficerent, ſatis eſset ad victoriam.

Hæc ſcripſi, non prò Domo mea, ſed prò veritate, quæ mihi magis amica eſt.

L U C A N A

C A P P E L L Æ.

R. P. QVoniàm Familia mea de Fatinellis id vnum ſatagit, atque exoptat, vt nuda facti veritas omnibus perſpicua ſit, vt indè æqui, boniquc Viri intelligant, eam iura ſua tueri, aliena, nè dùm non rapere, ſed nèc concupiſcere; Propterea operę prętium duxi', aliquot, ſi non omnes, diſpungere in facto errores exaduerſo inſinuatos; Vt autèm id præſtem.

Præmitto, Priorem, & Sindicum Confraternitatis Beatæ Zitæ à nobis interpellatos coràm Eccleſiaſtico Iudice die 23. Maij 1685. vt è noſtra Patronali Cappella eiuſdem B. Zitę Confraternitatem educerent ad tenorem pacti intèr eam, & Familiam noſtram initi in Inſtrumento conceſſionis vſus Cappellæ, reſpondiſſe die 25. dicti Menſis per hæc verba: *Confraternitatem eſſe promptam recedere à conuentione inita intèr ipſam, & eius Deputatos ex vna, & D. D. de Fatinellis ex parte altera, mediante publico Inſtrumento Anni 1676. de quo in inquiſitione, dummodò ſibi reſtituantur omnia Arneſia, & Supellectilia, per eamdem Confraternitatem proprijs ex*

penſis

penſis confecta, & exiſtentia in Cappella B. Zitæ, & aſsignetur cõgruum tempus ad commodè aſportandum, & remouendum ab eadem Cappella dicta eius Arneſia, & ſupellectilia &c. cum declaratione, & ſolemni proteſtatione, quod ipſa Confraternitas non intendit ampliùs remanere obligata ergà ipſos D. D. de Fatinellis, iuxtà pacta d. Inſtrumenti Anni 1676.

Ruſuſque interpellatos, vt declararent, quænam aſportare vellent Arneſia, declaraſſe ſub die 16. Iunij, aſportare velle, *Bancum, & quædam Scamna, &c.*

Die autem 14. Iulij dicti Prior, & Sindicus comparuerunt, & perindè ac ſi eſſent noui homines, dixerunt, *quod habita nupèr notitia, quod Pars aduerſa nullum ius, nullamque habeat actionem priuandi dictam Confraternitatem vſu Cappellæ B. Zitæ, &c. nèc ſit Domina Altaris, loci, & Parietum, ſed quod hoc dominium, & quod ius, & facultas talia prohibendi ſpectat, & pertinet Monaſterio P. P. S. Frigidiani, & Reuerendiſs. Priori, qui intendunt, & volunt, quod dicta Confraternitas continuet in eodem loco, ideò proteſtantur, sè non velle diſcedere. &c.*

Demùm congregata Vniuerſa Confraternitas die 12. Auguſti. *Per ſecreta ſuffragia omnia affirmatiua decreuit, referri per ſuos Deputatos D. D. de Fatinellis: Che l'Alma Compagnia è pronta ripigliarſi le ſue Robbe ſempre, e quando ne li conſegnaranno fuori di Chieſa, non volendo la ſudetta Compagnia ſtare ſottopoſta à Cenſure, Scommuniche, ò altro.* Prout Deputati retulerunt.

Ex recenſita facti ſerie, quæ publicis præinſertis probatur documentis, *clarè conſtat, R. R. Canonicos Lateranenſes sè oppoſuiſſe receſſui Confraternitatis, & aſportationi ſupellectilium, metu Cenſurarum hominibus Confraternitatis incuſſo; Sicque negare, vt facit Reuerendiſs. exaduerſo ſcribens, quod Confratres Mobilia ſibi extrà Eccleſiam conſignari petierint metu Cenſurarum, ſibi à P. P. Lateranenſibus incuſſo, mera vanitas eſt.*

Æquo, velim, animo ferat Reuerendiſs. exaduerſo ſcribens ſi hic (quod & alibi facere cogor) reddidi illi verba ſua; iuſtum eſt enim, quod quæ ipſe ſeminauerit, metat,

Cæ-

Cæterùm ego aſſuetus cauſas in Vrbe vrbanitèr agere, eaſque iuribus, non iniurijs tueri, vt Sacratiſſimarum Legum decet Cultorem, iuxtà Imperiale Monitum in *l. quiſquis C. de poſtuland.* cũ cõcordantibus apùd *Mandoſ. in addit. ad Lap. alleg.* 103. *litt. A*, retundendo obiecta, mea non proferã verba, ſed referam, quæ obijciens ipſe mihi ſuppeditauit.

Obijcit idem Reuerendiſs. ſcribens, quod ſi coràm Iudice hominibus Confraternitatis diſceſſum indiximus, ipſi non erant ad diſcedendum parati.

Sèd, eius pace dixerim, fallitur, quia ſæpè aditur Iudex ad cautelam, etiàm ſupèr actibus intèr partes ſpõtaneis, *l. ſi quos. C. de Decurion. lib. x. vbi Bart.* opportunè aduertit, ex acceſſu ad Iudicem omnem eliminari doli, vel machinationis prętextum; Non enìm eſt veriſimile, quod velit quis illi metum incutere, quem ad Iudicem vocat, cùm ad Iudicis ſpectet officium vim, metumuè inferentes cohibere, *l. non eſt veriſimile, ff. de eo, quod met. cau.*

Quodque homines Confraternitatis verè parati eſſent diſcedere, patet ex ſuprà relata reſponſione illicò per eos data noſtræ interpellationi, & ex paritèr relato decreto omnibus ſecretis ſuffragijs affirmatiuis de diſcedendo, & recipiendis mobilibus ſuis, *ſed extrà Eccleſiam*.

Et clariùs ex eorũdem Confratrum proteſtatione medio tempore intèr dictam reſponſionem, & Decretũ emiſſa, *quod ius, & facultas talia prohibendi ſpectat, & pertinet Monaſterio P.P: S. Frigidiani, & Reuerendiſs. Priori, qui intendunt, & volunt, quod dicta Confraternitas continuet in eodem loco, ideò proteſtantur, ſe non velle diſcedere*. Non ergò, vt ex aduerſo aſſeritur, *Confraternitatis Homines ex propria voluntate, & animo perſeuerandi in Cappella B. Zita*, in quam precario, & ad tempus à Familia de Fatinellis fuerant inducti, *ſed ad ſuggeſtionem Reuerendiſs. Prioris, & Canonicorum*

com-

comparuerunt; Hi enim ſunt, *qui intendunt, & volunt, quod dicta Confraternitas continuet in eodem loco, ideò proteſtantur, sè non velle diſcedere.*

Licèt autèm idem Reuerendiſs. ex aduerſo ſcribens exiſtimet, & lato ore exclamet, quod nos, quia è noſtra Cappella Confraternitatem dimiſimus, deſtitutam fecerimus Cappellam Pſalmodia Confratrum in Diuini Cultus diminutionem, dicere tamèn non poteſt, Pſalmodiam per Confratres in Cappella habitam vnquàm fuiſſe; Immò nèc haberi decet, cùm Cappella exiſtat in Eccleſia, ſicque Confratrum Pſalmodia impedimentum afferret Pſalmodiæ ipſorum mèt Canonicorum, & Celebrationi Miſſarum, alijsque Sacerdotalibus functionibus.

Cùr igitur *Bone Deus*! Reuerendiſs. ex aduerſo ſcribens Familiam noſtram à Deo decoratam Angelico Beatæ Zitæ contubernio, Piam in eandem, cuius Nomini Sacellum conſtruxit, & dotauit ad Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium in Dei gloriam, & noſtrarum Animarum Suffragium, quotidiè in eo peragendum; Munificam in ipſos Canonicos Sancti Frigidiani, quibus Cappellæ dotem addixit, vltrà alia antecedentia in eos merita; quæ, ipſi teſtata reliquerunt in Inſtrumento Anni 1410. ibi.

Prior, & Canonici, & Capitulum Monaſterij S. Frigidiani Lucani volentes veritatem fateri, & Benefactoribus dicti Monaſterij recompenſationem aliquam facere, vt ipſi, & alij ad conferendum eidem Monaſterio ſimilia inuitentur, fuerunt confeſſi, & publicè recognouerunt Stephano quondàm Nelli, quondàm Iacobi de Fatinellis, &c & infrà. *Et volentes dicti Prior, & Canonici dictæ Eccleſiæ dictis Stephano, & Bartholomæo, vti Benefactoribus dicti Monaſterij retribuere, &c.*

Cùr, inquàm *in inuidiam trahit* apùd ignarum Vulgus, & quaſi impietatis incuſat prætextu impeditæ Pſalmodiæ, quæ in Cappella noſtra per Confratres numquã fuit præſtita, nèc præſtari conueniens?

Cur

Cur etiàm dimiſſionis cauſas curioſus ſciſcitatur à nobis? Confraternitatem in noſtram Patronalem Cappellam admiſimus *ad præfinitum tempus Triennij*, *& precario admiſimus*, vt legere ipſemèt potuit in Publico Inſtrumento, quod præ manibus habet; Si ad tempus, ergò elapſo tempore expirauit admiſſio, cùm ea ſit temporis limitati natura, vt illius lapſus conceſſionem reſoluat *l. ſi vnus. §. 1. ff. de pact. l. pater. §. fundum. ff. de Leg. 3. l. fratres. ff. de pœn.* cum concordantibus relatis à *Barboſ. Axiomat. Iur. 46.* Si precario, ergò potuimus illud ad libitum reuocare, cùm dicatur *in l. 1. ff. de precar. Precarium eſt, quod precibus vtendum conceditur tamdiù, quamdiù is, qui conceſſit, patitur; Quod genus liberalitatis ex iure Gentium deſcendit, & diſtat à donatione, eo quod qui donat, ſic dat, nè recipiat, at qui precario concedit ſic dat, quaſi tunc recepturus, cùm ſibi libuerit precarium ſoluere, & eſt ſimile commodato, nàm & qui commodat ſic commodat, vt non faciat rem accipientis, ſed vt ei vti rè commodata permittat; Et habet ſummam æquitatem, vt eatenùs quiſque noſtro vtatur, quatenùs ei tribuere velimus*, ſubditur *in l. & habet ff. eod.* Deſinat ergo ille mirari, & aerem verberare clamoribus, cur dimiſſionis cauſas non afferimus, dùm cauſa nulla requiritur dimittendi quem precario, & ad tempus admiſeris.

Quod autèm ſubnectitur ex aduerſo, Altare B. Zitæ floribus per Confratres ornari, & ex eorum è Cappella diſceſſu ceſſare huiuſmodi ornatum, inefficax eſt argumentum; habet enim B. Zita perpetuò vernantes in ſinu flores, nèc fructu vacuos,* adeò vt dicere poſſimus; quod: *Circumdant eam flores Roſarum, & Lilia Conuallium, eſtque Venter illius ſicut Aceruus Tritici vallatus Lilijs*, vt habetur *in Cantic. cap. 7.* Et ſicùt *eius Venerandum Corpus à die felicis obitus continuò ſupèr dictum Altare extitit ornatum expenſis Conſortum de Fatinellis*, vt legitur in præmemorato Inſtrumento Anni 1410. cum ipſiſmet Canonicis inito, & ab indè citrà vſquè in præſens ornatum à nobis pariter fuit, vt vni-

* Fruſtra panis, quę B. Zita in gremiali ferebat ad egenos, miraculosè verſa ſunt in flores, & horrea per eam vacuata frumẽto, tradita pauperibus ipſa orante, illicò redundarunt.

uerſæ

uerſæ Ciuitati, maximè verò ijſdem Canonicis Lateranéſibus oculorum teſtimonio innoteſcit, ità, Deo fauente, ornabitur in futurum abſque Confraternitatis adiumento.

Facultas apponendi Familiæ noſtræ Arma intùs, & extrà Cappellam reſtricta non fuit ad perſonas Stephani, & Bartholomæi, vt ex aduerſo educitur ex pronomine *ipſis* perſonalitatis ſignificatiuo, adiecto in iàm dicto Inſtrumento Anni 1410. illa in parte, in qua de Stemmatum inſculptione agitur; Etenim pronomen *ipſi*, quamuis perſonaliſſimum, in materia tamèn tranſitoria, & tranſmiſſibili ad hæredes, vt in præſenti, cenſetur appoſitum demonſtratiuè, non taxatiuè, ad hæredum, & ſucceſsorum excluſionem, vt huic obiecto copiosè ſatisfacit, *Rot. deciſ. 371. num. 22. & plurib. ſeqq. p. xi. recent.* Quam prò omnibus allegare ſufficit.

Præctereà Inſtrumentum in parte diſpoſitiua continet ſtipulationem prò Stephano, & Bartholomæo, & ſucceſſiuè pro omnibus Conſortibus Familię de Fatinellis in infinitum, ibi: *Stephano q. Nelli q. Iacobi, & Bartholomæo q. Ioannis q. dicti Iacobi de Fatinellis prò sè, & eorum hæredibus, & deſcendentibus, & vice, & nomine Iacobi q. dicti Ioannis, & deſcendentibus ex ipſo Iacobo, & omnium, & ſingulorum ex progenie de Fatinellis præſentibus, & ſtipulantibus.* Et infrà. *Et per hæc cupiens ſuis deſcendentibus, & Conſortibus acquirere Patronatum dictæ Cappellę &c. Præfati Prior, Canonici, & Capitulū dixerunt, & confeſſi fuerunt ſupradictis Stephano, & Bartholomęo, vt ſuprà ſtipulantibus.* Et infrà. *Itèm dicti Prior, & Conuentus fuerunt confeſsi, & contenti, & publicè recognouerunt eiſdem Stephano, & Bartholomęo pro sè, & eorum Conſortibus, & deſcendentibus, ac prò deſcendentibus d. Iacobi pręſentibus, & ſtipulantibus &c.* & infrà. *Et volentes dicti Prior, & Canonici dictæ Eccleſię dictis Stephano, & Bartholomęo præſentibus, nèc non dicto Iacobo abſenti, & eorum deſcendentibus in perpetuum, & Vniuerſis Conſortibus de Agnatione, & Progenie de Fatinellis pręſentibus, & futuris in perpetuum &c. recognouerunt eiſdem Stephano,*

 et Bar-

& Bartholomæo, vt ſuprà ſtipulantibus prò eorum, & dicti Iacobi in perpetuum deſcendentibus, & prò Vniuerſis Conſortibus de Progenie de Fatinellis, quod Iuspatronatus dictæ Cappellæ ad eoſdem Stephanum, & Bartholomæum, & Iacobum, & eorum in perpetuum deſcendentes pertinet &c.

Ex quibus verbis directis nè dùm ad Stephanum, & Bartholomæum, *ſed ad Vniuerſam Progeniem, Conſortes, et deſcendentes de Fatinellis in perpetuum*, quæ ſunt nomina collectiua plurium graduum, & perſonarum, donèc aliquis extat de Progenie, & deſcendentia, vt etiàm Tyronibus in iure notum eſt, liquet, quod ſubſequens facultas data Stephano, & Bartholomæo apponendi Arma, minimè reſtricta fuit ad eorum perſonas, nàm data non fuit *ipſis* ſimplicitèr, sèd cum adiuncto: *vt ſuprà ſtipulantibus*. ibi: *Itèm dicti Prior, & Canonici conceſſerunt eiſdem Stephano, & Bartholomæo præſentibus, et ſtipulantibus, vt ſuprà, quod ipſi poſſint in dicta Cappella, et in eius circuitu intùs, et extrà depingere, et ſculpere, vel depingi, vel ſculpi facere eorum Arma, ſiuè ſigna, quæ indè nullo modo poſſint tempore amoueri ex quauis cauſa, & teneantur, vt promiſerunt, non permittere, vel pati, quod in dicta Cappella, vel in eius circuitu ſint, vel eſse, et ſtare poſſint alia Arma, niſi dumtaxàt dictæ progeniei de Fatinellis*. Clauſula quippè illa *vt ſuprà*, oſtendit voluntatem comprehendendi pariformitèr in hac parte deſcendentes, & Conſortes Stephani, Bartholomæi, & Iacobi in perpetuum, ſicuti in præcedentibus fuerant comprehenſi, cùm ſit repetitiua omnium præcedentium perſonarum, qualitatum, & conditionum, *Rot. in prælleg. deciſ.* 371. *num.* 30. *et* 31. *p.* 11. *rec. et cor. Bichio. deciſ.* 252. *num.* 11. & præclarè *coram Eminentiſs. Cerro, deciſ.* 507. *num.* 9. *& deciſ.* 921. *num.* 6.

In huius comprobationem veritatis accedit pars Inſtrumenti poſtrema ibi:

Quæ quidèm omnia, & ſingula ſupradicti Prior, Canonici, Capitulum, et Conuentus per sè, et ſuos ſucceſſores promiſerunt, et conuenerunt eidem Bartholomæo, et Stephano prò sè, et quo ſu-

præ-

præſcripto nomine præſentibus, et ſtipulantibus omni tempore perpetuò firma, rata, grata habere, tenere, attendere, adimplere, et obſeruare, et contrà in aliquo non facere, vel venire per sè, vel alios in iudicio, vel extrà, de iure, vel de facto, directè, vel per obliquum &c.

Clauſula enim iſta: *quæ quidèm omnia, et ſingula* relata ad Bartholomæum, & Stephanum *prò ſe, et quo ſuprà nomine ſtipulantes* refertur ad quæcumque pacta, & Capitula in Inſtrumento appoſita, ſicque etiàm ad illud pingendi, & inſculpendi Arma, habetque vim ſpecialis dinumerationis, & complectitur omnia, quæ in Inſtrumento principalitèr, vel incidentèr deſcripta ſunt *Speculat. tit. de empt. et vendit. §. 1. num. 28. Saluſt. Tiber. in formular. Inſtrum. lib. 1. cap. 19. num. 12. in fin. Bertazzol. clauſul. 4. gl. 3. num. 1. Rot. cor. Eminentiſs. Cerr. deciſ. 34. num. 16.*

Facultatem igitùr apponendi Arma intùs, & extrà Cappellam non reſtrinxerunt ad perſonas Stephani, & Bartholomæi, Tùm quià in peculiari capitulo eam conceſſerunt Bartholomæo, & Stephano *ſtipulantibus, vt ſuprà*, hoc eſt prò sè, & deſcendentibus, vt iàm demonſtratum eſt; Tùm quià hic paritèr *renouarunt eiſdem Bartholomæo, et Stephano, prò sè, et quo ſupraſcripto nomine præſentibus, et ſtipulantibus*, hoc eſt *prò sè, et Iacobo, et cuiuſque eorum deſcendētibus in perpetuum*; hoc enim nomine ſuprà ſtipulati ſunt, vt vidimus.

Ex quo colligitur, *quod conceſſionis limites non exceſſerunt Moderni Patroni, qui elapſis diebus ſua ſigna parietibus extrà dictam Cappellam appenderunt, ſed egregiè exceſſit ille*, qui exceſſum ſcriptis ſuis nobis impingit.

Et quoniàm habemus in manibus arma, antequàm ea deponamus, nè quid veritati deſit ad victoriam, Veritas enim ſempèr vincit, & inualeſcit, *can. conſuetudo diſt. 8.* aduertere libet, quod Arma noſtra inſculpta fuerunt in exteriori pariete Cappellæ etiàm antè præallegatum Inſtrumentum Anni 1410.; Apparent enim duo ſatis præ gran-

dia in pariete Marmoreo verſùs Eccleſiam, cui tamquàm baſi innititur Crates ferrea prò cuſtodia, & ornamento Cappellæ à noſtris Progenitoribus conſtructa, in cuius parietis, ſeù baſis fronte inſcriptum eſt: *Hoc opus fieri fecerant Nobiles Viri D. Nicolaus, et Bartholomaeus de Fatinellis de Luca Anno Domini M. CCC. XXI.* Poſt dictum verò Inſtrumentum Anni 1410. Arma appendimus nè dùm in fęneſtris vitreis, de quibus infrà, ſed quotieſcumquè, & vbicumquè occaſio tulit, vt videre eſt in vaſe marmoreo, quo continetur aqua luſtralis, Nec non ſuprà Portam, per quam è Cappella itur in contiguam Monaſterij Manſiunculam, ex qua vigore infrà recenſendi Inſtrumenti Anni 1653. ius nobis competit accipiendi duo cubita cum dimidio ſitus versùs Monaſteriū prò conſtruendo nouo Altari; & in noua Capſa triginta ab hinc circitèr annis confecta, in qua repoſuimus Venerandum, Sacrumque Corpus B. Zitæ; Immò in iàm dicto Inſtrumento Anni 1653. 27. Febr. recepto per Carellum de Carellis, quo gratioſè conceſſimus Priori, & Canonicis S. Frigidiani licentiam conſtruendi Porticum affabrè factam, deauratamque ad pſallendum in Cappella tempore noctis, & hyemis, onus iniunximus ijsdem Priori, & Canonicis inſculpendi in Porticu Arma noſtra his verbis. *Ne quali lavori da farſi deva eſſere intagliata, e ſcolpita l'Arme della Famiglia delli Sig. Fatinelli.*

Quæ obſeruantia Arma apponendi ſucceſſiuè exercita per deſcendentes Stephani, & Bartholomæi euincit, facultatem non fuiſſe ad Stephani, & Bartholomæi perſonas reſtrictam; obſeruantia enim optima eſt Contractuum interpres, vulgatis Iuribus. Quamquàm in claris, vt hìc, non eſt interpretatione opus.

Quod attinet ad antiquas feneſtras Vitreas *de noſtra licentia* à R. R. Priore, & Canonicis immutatas, quæritur ex aduerſo diffugium, aſſerendo, id contigiſse, quià extabant in feneſtris depicta Arma Familiæ noſtræ, quę non

tro-

eſt æquum remoueri è Cappellis Patronatis, inuitis Patronis.

Vt autèm conſtet, id non ea ſolum ratione contigiſſe, quod in antiquis feneſtris, Arma familiæ Noſtræ eſſent depicta, huic enim præiudicio remedium afferri facilè poterat, ſi ea iterùm pingerentur in nouis, ſed contigiſſe potiſſimùm quià Dominium vſuale, & materialitas, vt ità dixerim, Cappellæ non ad Priorem, & Canonicos, ſed ad noſtrá pertinet Familiam, ideoquè Prior, & Canonici citrà noſtram licentiam, circà materiale nihil peragere valent, ſufficit lectura mox recenſendi inſtrumenti del 1653. quo per nos Priori, & Canonicis data licentia illas feneſtras immutandi; nàm præſefert licentiam petitam, & datam ob defectum poteſtatis in Priore, & Canonicis quidquam in noſtra Cappella moliendi, vel demoliendi.

Quod vt certiùs euincam, referam rem noſtra in Vrbe omnibus notam. Anno 1650. Prior, & Canonici reducentes in elegantiorem formam eorum Monaſteriū, extruxerunt feneſtras ſatis amplas in Cubiculis inferioribus dicti Monaſterij, reſpicientibus Clauſtrum, contiguis Muro poſteriori Cappellæ noſtræ, in quo aderant illæ duę feneſtræ vitreæ depictæ, quæ diſſonabant à nouis feneſtris Cubiculorum Monaſterij, tùm in latitudine, tùm in longitudine, & pictura Vitrorum, cùm feneſtræ Cubiculorum non eſsent depictæ, propterea cupientes Prior, & Canonici illas ad conſonantiam cum ſuis feneſtris reducere, Noctu, vt malè agentes ſolent, cæperunt de facto noſtras demoliri; ſed ſummo mane per nos deprehenſi, & inhibiti, deſtiterunt, & paucos poſt dies omnia repoſuerunt in priſtinum, adeò vt vèl minima quæquæ rudera coagmentata fuerint, ſuoque loco reſtituta; Quibus peractis, dedimus ad complacendum Patribus, etiàm in rè tàm clara, manus Cōpromiſſo, quod die 10. Aprilis 1652. initum fuit huius tenoris: *Conciosiache il Sig. Priore di S. Frediano habbia desiderato di ridurre in altra forma due finestre, che*

riguar-

riguardano nella Cappella di S. Zita, e che la Famiglia de' Signori Fatinelli ſi ſia oppoſta, di qui è che ſtante fermo il poſſeſſo antico, che detti Signori Fatinelli hanno della detta Cappella di Santa Zita, come coſta per publici Contratti, che vi ſono, à quali ſi habbia relazione, e ſopra il qual poſſeſſo non può cadere alcuna controuerſia; tanto il Sig. Priore, che i Signori di detta Famiglia ſi ſono conuenuti di rimettere in due comuni Amici, che conſiderino, e decidino eſſi amicheuolmente, sè la rimozione di dette fineſtre ridotte in altra forma di quella ſono al preſente, s'intenda, e intendere ſi debba, che ſia in poteſtà del Sig. Priore di poterle rimuouere ſenza la douuta licenza di detti Signori Fatinelli; I quali due comuni Amici ſtando riſtretti ſolamente à detta operazione di queſte fineſtre deuino decidere quello ſia ragione di fare, e ciò dentro il termine de' 15. Maggio proſſimo futuro, e per la parte del Sig. Priore eſſendo ſtato nominato il Sig. Luigi Manſi, e per i Signori Fatinelli il Sig. Ceſare Burlamacchi, à eſſi vien conferita la ſopraſcritta autorità; Et in fede &c. Sequuntur ſubſcriptiones Prioris, & D.D. de Fatinellis.

Quod Compromiſſum prorogatum fuit vſquè ad Menſem Ianuarij Anni 1653. vt in eo legitur; Sèd PP. Lateranenſes, laudo minimè expectato, quià preſenſerat ſibi contrarium, id à Familia noſtra petierunt ex gratia, quod de iure non poterant obtinere; ideò deuentum fuit amicabilitèr 27. Februarij 1653. rogitu Carelli de Carellis ad Inſtrumentum huius tenoris.

Concioſiache li Molto R. R. Canonici Regolari dell'Ordine di S. Agoſtino della Congregazione Lateranenſe del Monaſtero di S. Frediano di Lucca deſiderino perfezzionare il Loro Conuento in quella più riguardeuole forma poſſibile, e non potendo ciò perfettamente riuſcirli, sè dalla Nobile famiglia de' Signori Fatinelli Padroni della Cappella di S. Zita eſiſtente in detta loro Chieſa non ne li viene data la mano, con concederli facoltà di poter ridurre le due fineſtre, che ſono in detta Cappella riguardāti nel loro Clauſtro, nel modo, e forma ſono le altre eſiſtenti in detto Clauſtro, come ancora il tranſito ſopra l'vltimo, e terzo Arco verſo Settentrio-

ne di

ne di d. Cappella dalla parte delle dette Fineſtre; Et à queſto effetto il Reuerendiſs. P. D. Bonifazio Boni Priore del detto Monaſtero, e con il conſenſo del Molto Reuerendo ſuo Capitolo hà partecipato queſto ſuo deſiderio con il Sig. Caualiere Filippo, e Bartolomeo Fatinelli Nobili di Lucca Maggior nati di detta Famiglia, e Padroni di d. Cappella, e richieſtoli della ſudetta Grazia, promettendo à tutte ſpeſe di detto Monaſterio far fare vn Coro, per contro l' Altare, doue ripoſa il Corpo di S. Zita chiuſo con geloſia fino alla ſuperficie di detto terzo Arco per la parte riguardante in detta Cappella, e per la parte ſuperiore ſi deua caminare al medeſimo piano del Corridore del Dormitorio del detto Conuento, conforme al Diſegno, ſi preſenta à elezzione de' medeſimi Signori Fatinelli; I quali Sig. Filippo, e Bartolomeo ſentite le iſtanze, come ſopra, fatte, & hauendo il tutto frà di loro, e con altri della medeſimà Famiglia più, e diuerſe volte diſcorſo &c. e venuti in cognizione il tutto non poter eſſere di alcun pregiudizio della forma, e bellezza di d. loro Cappella, mà ſi bene renderla più riguardeuole, e di maggior venerazione, e decoro della Santa, potendoſi mediante detto Coro in tempo d'Inuerno, ò altri calamitoſi da detti R. R. Canonici celebrare i Santi, e Diuini Offizij, tutto in honore della medeſima Santa loro Protettrice, ſi ſono da ciò vnitamente riſoluti à compiacere detti R. R. Canonici, deſideroſi eſſi Signori Fatinelli continuare quella ottima, e reciproca corriſpondenza, che con detto Monaſtero, e Canonici è ſempre paſſata, e voglino di quanto ſopra ne appariſca publico Inſtrumento, di quì è che &c. danno, e concedono al Monaſtero, e Canonici di S. Frediano di Lucca la ragione, e facoltà di potere &c. & infrà, *e promettono* (idest Canonici, & Capitulum) *il tutto fare, & adempire, & oſſeruare à tutte ſpeſe di detto loro Monaſtero, & ad intiero guſto, e ſodisfazione di detti Signori Fatinelli, rimoſſa ogni eccezzione.* Et infrà. *Et in caſo di inoſſeruanza deuino far ritornare, e riponere à loro ſpeſe tutto nel modo, e forma, che ſtà preſentemente, e la ſopraſcritta facoltà, da detti Signori Fatinelli conceduta li, non habbia luogo, perche così &c.*

Ex his

Ex his, & alijs plurimis, quæ in publico Inſtrumento habentur, & breuitatis cauſa omittuntur, cùm in eo legere fas ſit, intelligere quiſque poteſt, ipſe præſertim Reuerendiſſimus in contrarium ſcribens, qui Inſtrumenti celebrationi interfuit, affirmatiuumque ſuffragium cum Priore, & Concanonicis concorditèr tulit, quàm benè R.R. Prior, & Canonici agnouerint, ſibi haud licere apponere manus circà materiale Cappellæ noſtræ, etiàm ad illius *augumentum*, & *ornatum*; Et cùm ipſimèt R.R. Canonici licentiam à nobis ex gratia petierint aliquid in Cappella moliendi, *prò eorummèt vſu, & commoditate ad orandum, & pſallendum, & ornandum*; Nouum, & mirabile eſt, quod hodiè alijs concedere velint, quod ipſi sè non habere fatentur, contrà regulam, *l. traditio. ff. de acq. rer. domin.*; *&* *l. nemo plùs Iuris. ff. de reg. Iur.* cum concordantibus apùd *Barboſ. Axiomat. 64. & 160.*

Vtque penitùs ex facto ipſo omnis dubitatio tollatur, quin dominium vſuale, & materialitas Cappellæ ad nos, non verò ad R.R. Canonicos pertineat, præiactis iàm fundamentis grauiora probationum pondera ex abundanti supèr imponere libet. Verba nimirùm ſæpè memorati Inſtrumenti del 1410. ibi:

Itèm præfati Prior, & Canonici per sè, & eorum ſucceſſores dederunt, & conceſſerunt eiſdem Stephano, & Bartholomæo præſentibus, & ſtipulantibus prò sè, & prò ſuis, & dicti Iacobi deſcēdentibus licentiam, & omnimodam poteſtatem faciēdi, & fieri faciendi nunc, & inperpetuum quæcumque ædificia, & ornamenta, de quibus eis videbitur prò decore, et conſeruatione, & tegumento dictæ Cappellæ, & eis ſic ædificantibus; & reparantibus nullum poſſit impedimentum dari, vel pręſtari quouis quæſito colore.

Ex quibus verbis illa prę cæteris notanda ſunt *omnimodam poteſtatem*, quorum vis, & operatio eſt totalitatem priuatiuam, etiàm quò ad R. R. Canonicos tribuendi Familiæ noſtræ circà diſpoſitionem materialitatis Cappellæ, vt ex theorica *gl. in Clem. vnic. verbo omnimodam. de for. com-*

pet.

pet. tradunt *Socin. Sen. conſ. 43. num. 12. lib. 4. Rot. deciſ. 296. num. 1. p. 1. diuerſ. in recent. p. 3. deciſ. 39. n. 5. & 6. cor. Bich. deciſ. 448. nū. 7. & dec. 474. nū. 8.* vbi *num. 10. & ſeqq.* ſatisfacit vulgato obiecto, & nunc ex aduerſo excitato, de præſumenda conceſſione potiùs cumulatiua, quàm priuatiua, nempè locum non habere, vbi adhibitum fuit verbum *omnimodum*, quod mentem concedendi priuatiuè demonſtrat; Vrgenti quidèm ratione, quià ſi illi non intelligerentur excluſi à diſpoſitione quacunque materialitatis, iàm non eſſet Familiæ noſtrę tributa *omnimoda poteſtas*, ſed potiùs diminuta, & limitata, ſicque illa dictio *omnimoda* duo contradictoria ſignificaret, quod eſse non poteſt.

Hoc idem demonſtrant ſequentia verba: *quacumque ædificia, & ornamenta, de quibus eis videbitur,* quę non reſtringunt facultatem ad hoc, vel illud ædificium, & ornamentum, ſed ex indole vniuerſalis dictionis *quacumque* adeò comprehendunt poteſtatem omnia faciendi, etiàm maiora expreſſis, ex plenè adductis *à Gonzal. ad regul. 8. gl. 9. num. 31. & duob. ſeqq.* vt nihil penès Canonicos cōcedentes remanſerit, *Barboſ. dict. 315. num.* 3. Accedentibus alijs verbis: *de quibus eis videbitur*, quæ iuncta cum præcedenti vniuerſaliſſimo *quacumque* deſignant poteſtatem liberá, & abſolutam, minimèque reſtrictam ad arbitrium boni Viri *Menoch. de arbitr. l. 1. q. 8. num.* 12. At verò ſi etiàm R.R. Canonici poſsent ædificare in Cappella, vel eam ornare, poſsent, & à nobis ædificata, atque ornata deſtruere, & nos vice verſa eorum ædificia, & ornamenta demoliri, id, quod eſſet conſtitutum ad deformationem, & deſtructionem, non ædificationem, & ornatum Cappellæ.

Tandèm illa verba: *& eis ſic ædificantibus, & reparantibus nullum poſſit impedimentum præſtari quouis quæſito colore*, quæ tamquàm Vniuerſalia negatiua ſtant ad excluſionem omnis impedimenti, etiàm minimi *gl. in cap. Statutum. §. inſupèr. verbo nullum. de reſcript. in 6. Geminian. conſ. 35. num.*

3. *& duob. ſeqq.* comprehenduntque quidquid etiam ſub lata impedimenti ſignificatione continetur, *gl. in cap. nemo poteſt. il 1. verbo. obligari. de reg. Iur. in 6. Decian. conſ. 12. num. 12. & 13. lib. 1. Angel. Aretin. conſ. 72. num. 27.* cum relatis à *Barboſ. dict. 228. & 229.* & verificari non poſſent, ſi etiàm R. R. Canonici haberent cumulatiuam facultatem circà materiale Cappellæ, quià nemo non videt quãto foret impedimento nobis ædificãtibus, vel ornantibus, & quantùm nos auerteret ab ędificandi, ornandique ſtudio, ſi & ipſi poſsent aliquid de Cappellæ materialitate diſponere.

Quod ſi R. R. Canonici aſserunt, aliquot ab hinc Annis feneſtellam aperuiſſe ex parte eorum Monaſterij in pariete reſpiciente Cappellam noſtram, non indè deducere valent ius, vel legitimam poſseſsionem, refragante eis tùm mala fide ex ſcientia, quam habent per Inſtrumenta intèr eos, & familiam inita annis 1410. & 1653. reſpectiuè, quibus agnouerunt, vt ſuprà, ius materialitatis Cappellæ nobis priuatiuè quòad eos competere; Tùm quià adeò cautè eam feneſtellam aperuerunt, vt nobis non apparuerit, niſi poſtquàm ipſi eam luci expoſuerunt per eorum ſcripta typis nunc tradita, nimirùm adeò parua eſt, & fornicis vertici adhærens, vt prę altitudinis diſtantia è plano Cappellæ vix perſpici queat, immò abſolutè nequeat ob clauſtrellum ligneum exteriùs dealbatum, vt ſit concolor parieti Cappellæ, & ſic oculos fallat, nè feneſtellam in pariete à pariete diſtinguant.

Cæterùm R.R. Patres intelligant, Feneſtellam hanc muro cladi oportere, nè dùm quià quæ de facto fiunt defacto tolluntur, ſed & magis quià in illa ſummitate Muri ſubtùs Arcus per totum Cappellæ circuitum in dies depingenda ſunt mirabilia geſta B. Zitæ *ad ipſius honorem, & Cappellæ ornamentum, cui Patres ipſi nullum poſſunt impedimentum dare, vel præſtare quouis quæſito colore*, ex totiès, ſed nunquàm ſatis memorato Inſtrumento anni 1410. Intollerabile

bile verò impedimentum, ac deformitatem afferret picturæ apertura, & intercapedo illa Muri, ſupèr quo currentibus lineis pingendum eſt, vt patet ad oculum.

Quæ prætereà ex aduerſo dicuntur, de immutatione per Confraternitatem nouiſsimè facta vnius ex antiquis ligneis ſedilibus in Cappella exiſtentibus mirificè retorquentur; Nàm in Inſtrumento, quo Confraternitatem in Cappellam precario, & ad tempus admiſimus, pacto intèr cætera cautum eſt. *Che à detta Confraternita, e Confrati non ſia lecito d'innouare coſa ben minima in detta Cappella circa quelle coſe, che deuono ſtare ſiſſe ne' Muri, ò Materiale di eſſa, come ancora circa il farui Banchi, e Sedili ſenza eſpreſſa licenza di detti Signori Fatinelli in ſcriptis, perche così &c.*

Si igitùr Confraternitas vnum Sedile ex his, quæ per totam Cappellam Muro antiquitùs infixa ſunt, aptauit vſui ſedendi ad Bancum Mobile eiuſdem Confraternitatis pro ſuis Officialibus die feſtiuitatis B. Zitæ, nihil indè fluit in rem R. R. Canonicorum, nàm illa immutatio vel fuit de noſtra licentia, vt mihi è Patria abſenti credere par eſt, aut abſquè licentia; ſi primum, confirmatum fuit ex illa immutatione ius noſtrum, & obſeruantia pacti; Si ſecundum, immutatio, vt facta contrà legem pacti, fuit nulla, ideoque nullum potuit producere effectum, iuxtà vulgatum Iuris axioma; Quomodocumque verò fuerit, Confraternitas iàm dimiſsa eſt, iamque receſſit.

Diſpunctis erroribus facti, iterùm diluenda ſuperſunt obiecta, quæ ex aduerſo repetuntur in Iure, & ſummatim rediguntur ad duo.

Alterum quod Rector Cappellæ patronatæ diſponere poſsit de vſu, & materialitate illius, reluctante patrono.

Alterum quod Familia noſtra non conſtruxerit Cappellam B. Zitæ, ſed reſtaurauerit; vndè infertur ex aduerſo, plurimum detrahi viribus noſtri Iuriſpatronatus in ea.

 Ad pri-

Digitized by Google

Ad primum reſpondeo, quod viget in ſuo robore diſtinctionis ratio intèr Cappellas ſimplicitèr fundatas, aut dotatas ab aliquo vti Benefactore Eccleſiæ, & constructas, aut dotatas cum reſeruatione Iuriſpatronatus, vt in præſenti; Primæ enim dicuntur Cappellæ Eccleſiæ, & ipſa poteſt alios admittere ad in eis benefaciendum, & ornandum; Secundæ verò dicuntur Cappellæ illius Patroni, quarum vſum, poſtquàm Eccleſia vni addixit, non poteſt aut ſibi vindicare, aut alteri concedere, vt probaui in *priori diſſertatione §. vt autèm. cum pluribus ſeqq.*

Addo nunc *Rot. dec. 550. p. 1. diu*, quę ſi benè intelligatur dicit num. 1. *quod Cappella vnius alteri attribui non poteſt*, & loquitur de conceſſione ad merum vſum, & ad effectū magis ornandi Cappellam, & abſquè præiudicio Iuriſpatronatus, & nihilominùs hanc conceſſionem fieri poſſe negat, inuito Patrono, Etiamſi Epiſcopus conſentiret; Idemque firmatum fuit *Coram Bich. dec. 145. 162. & 164.* quibus reſpondit, non licere Epiſcopo vendere Cappellam Patronalem, inuito Patrono; Loquitur ibi Rota, non de venditione Iuriſpræſentandi, cùm ſit quid ſpirituale, vel ſpiritualitati adnexum, & conſequentèr inuendibile, maximè ab Epiſcopo, cùm non ad eum pertineat, ſed ad Patronum. Minùſque loquitur de venditione Cappellæ, vt eſt locus Deo ſacer, nàm vt talis nèc dominio hominis, nèc venditioni ſubeſt, ſed de ſola materialitate Cappellæ ad vtendum, & ornandum, vt ex Deciſionum lectura.

Ideòque in dicta priori diſſertatione §. *rè vera enim.* prę-uentiuè monui, *Deciſiones Eminentiſſ. Cerri 653. & 686.* nō loqui de Cappella dotata cum reſeruatione Iuriſpatronatus, ſed tantum de Patronatu honorifico, ad certos actus, non ex dotatione, ſed ex conſuetudine, & tolerantia Rectoris Eccleſiæ acquiſito in Cappella propria Eccleſię, quo caſu Deciſiones admittunt, *quod Eccleſia ſit Domina, & Patrona Cappellæ, quodque laicus ſit Patronus, & vſuarius quò ad*

certos vſus, de quibus Laici ſunt capaces; ſunt verba *dictæ deciſionis 686.*; propterea deciſiones iſtæ allatam à me diſtinctionem non tollunt, ſed confirmant.

Ad ſecundum reſpondeo; Quamquàm ex ſæpè dicto Inſtrumento Anni 1410. ſatis appareat, Cappellam fuiſſe à Familia noſtra conſtructam, non reſtauratam, hoc tamèn per malam hypotheſim dato, adhùc accedente dotatione ex integro prò Cappellania cum onere Miſsæ quotidianę ad dictum Altare celebrandæ, & Diuinis in Choro intereſsendi, acquiſiuiſſemus legitimè Iuſpatronatus Altaris, & Cappellæ, nam illud acquiritur dotanti Eccleſiam, vel Cappellam iàm coſtructam *Rot. dec. 167. num. 1. 4. & per tot. p. 2. diu. & cor Bich. dec. 162. n. 3. & 4.* Multò magis reſtauranti ſimùl, & dotanti, hoc enim caſu ſufficit etiàm dotis augumentum, *Rot. cor. Rembol. deciſ. 92. num. 3.*

Per hæc ſatisfactum exiſtimo pleriſque aduerſæ partis obiectis; Cætera, *prò mea quidem modeſtia* permitto libentèr Venerationi ergà Religioſum Statum Reuerendiſſimi in contrarium ſcribentis; Viri docti, ſed in legali facultate minimè verſati; Ego enim ex monitu D. Pauli *Rom. 7. Scientibus legem loquor.*

LVCA-

LUCANA

CAPPELLÆ.

R. P. TErtiò laceſſitus calamō manum admoueo, vt denuò repetita ab Aduerſarijs obiecta refellam, & tandem aliquandò illæſa Familiæ meæ iura, B. Zita protegente, perſiſtant.

Primò repetunt Aduerſarij, ſe ratione ſoli Compatronos eſſe Cappellæ per nos in eorum Eccleſia constructę, & dotatæ;

Reſpōdeo, cōſuetudinē vigere in Vniuerſa Eccleſia Catholica, quod Rector Eccleſię Cōpatronus nō ſit Cappellæ intrà ſuam Eccleſiam à Laicis dotatæ, vel conſtructæ, vt ſatis in prima Diſsertatione probaui, & nunc in comprobationem, D.D. & Rotæ Deciſionibus in ea relatis adiungo *Rot. in Virdunen. Cappellaniæ. 5. Decembris* 1601. *cor. Lancellotto. apud Marcheſan. de commiſſ. p.* 1. *pag.* 450. *ad fin. & Spad. conſ.* 15. *n.* 13. *lib.* 2. quo perlecto, valdè gauiſus ſum, quod tantus Magiſter, & Conciuis antè me hoc prætenſum ius compatronatus *rem abſurdam, & inuſitatam* appellauerit, Quam vniuerſalem conſuetudinem attendens *Lambertin. de Iurepat. lib.* 1. *p.* 1. *q.* 8. *art.* 6. *num.* 4. *pag. mihi* 169. relata, & ſimùl reiecta *Abbatis* opinione dicentis, Rectores Eccleſia-

rum

rum non habere compatronatum in Cappellis *ex inaduertentia*, inquit: *Et ideò dicerem, non ex inaduertentia, vt dicit Abbas, non obſeruari, quod Eccleſia ratione fundi non ſit patrona Cappellæ, vel Altaris intùs eam fundatæ, ſed ratione huius conſuetudinis.*

Sed demus, eſse *ex inaduertentia* omnium Rectorum Eccleſiarum, vt exaduerſo contenditur, quid tum? Nonnè error communis non facit jus? *l. Barbarius. vbi gl. verbo: reprobari. ff. de offic. pretor.* Non nè tutiùs eſt tranſire cum cõmuni negligentia (ſi ità dicere fas eſt) totius Eccleſiæ, quã cum obſcura diligentia moderni Prioris S Frigidiani; Non ſunt quippè mutanda ea, quæ interpretationem certam ſempèr habuerunt, *l. minimè. ff. de legib.* Innititur autèm iſta vniuerſis Eccleſiæ conſuetudo, vt hoc etiàm ex abundanti dicam, ſummæ rationi, & congruentiæ; Tùm quià aliàs retraherentur Laici à conſtruendis, & dotandis Cappellis in Eccleſijs, vt notaui in prima diſſertatione, & monet etiam *Spad. d. conſ. 15. n. 13.*

Tum, & fortiùs, quia aſſertum iuſcompatronatus onerosum nimis eſset ipſis Beneficijs, quæ nunquàm acquirerent libertatem, & de conſequenti contrarium ordinariæ Epiſcoporum collationi; Nam iuſpatronatus tanquàm quid incorporale eſt ſui natura indiuiduum, & reſidet apùd omnes Patronos inſolidùm, ideò quando ab initio non ſunt intèr Compatronos diuiſæ Voces, portio Cõpatroni deficientis, iure non decreſcendi, deuoluitur ad Compatronum *cap. 1. & ibi gl. magiſtralis. verbo. diuidi. de iurepat. Io: Andr. ad Specul. rub. de feud. col. 3. verſ proptèr hoc, & verſ. de iurepatronat. Rota in Aretina Cappellaniæ. 1. Iun. 1584. cor. Bubalo.*

Dato igitùr compatronatu Rectoris Eccleſiæ, intrà quam Cappellania, Canonicatus, aut Beneficium quodlibet ſit à laicis conſtitutum, Beneficium, Canonicatus, & Cappella huiuſmodi libertatem non acquirent, quamuis extincta penitùs ſit linea, aut defecerint Fundatoris hęredes,

quia

quia totum jvs in Eccleſię Rectore vti Cõpatrono conſolidabitur; Hoc autèm conſequens eſt falſiſſimum, nàm Beneficium acquirit libertatem, vt probant *Viuian. de Iurepat. lib. 4. cap. 2. n. 79. & lib. 15. cap. 1. n. 16. Ciarlin. contr. 144. n. 8. & per tot.* & ex ipſa experientia rerum magiſtra comprobatur; Ergò falſum eſt, & antecedens.

Prætereà aduertendum quod iuſpatronatus conceditur in remunerationem bonorum Deo datorum per Beneficij Fundatorem, nàm iura, quæ iuſpatronatus tribuunt Fundâti Cappellam, loquuntur de præſtante fundum, qui indigeat conſecratione, hoc eſt ad quem Epiſcopus veniat, ponat Crucem, & locum deſignet, *Cittadin. de Iurepat. p. 3. n. 3. Viuian. eod. tract. lib. 2. cap. 9. n. 7.* proptereà cùm Eccleſiæ Rector, patiendo, intrà illius ambitum à laicis conſtrui, aut dotari Cappellam, nihil Deo tribuat, aut conſecret nàm ſolum illlud iàm Deo dicatum eſt, effectumque Sancta Sanctorum, indè ſequitur, compatronatum cum coſtruente, aut dotante illi de iure debitum minimè eſſe, vtpotè qui nihil contulerit Deo conſecrandum.

Vident Aduerſarij, sè sè poſitos in anguſtijs, ideò fugam quærunt dicentes, quod iàm dicta conſuetudo negans compatronatum Rectoribus Eccleſiarum, intrà quas Cappella conſtructa, vel dotata ſit, reſtringitur ad ius præſentandi, quaſi quod in cæteris Eccleſiæ Rector Cappellæ Compatronus remaneat,

Sed gratis hoc aſſerunt, vndè erubeſcere debent ſinè lege loqui *Auth. de Trient. & ſemiß. §. conſideremus.* cũ reliquis apùd *Barboſ. Axiomat. Iur. 83.* præſertim cùm D. D. ſuprà recenſiti de hac conſuetudine loquentes, ſimplicitèr, & abſolutè negent, competere iuſcompatronatus Rectoribus Eccleſiarum.

Aduerſarij itidem repetunt, Cappellam non fuiſse à Progenitoribus noſtris conſtructam, ſed reſtauratam, verùm lectura inſtrumenti del 1410. illis os claudit, cùm

ex ea

ex ea clarè appareat, locum illum cæmeterialem anteà fuiſse, ac peruium ſinè muris lateralibus, apertumque deſupèr, ſinè tecto, & fornicibus, fuiſseque hæc omnia per nos ædificata; Adeò ut iure merito in d. inſtrumento poſt recenſitam à nobis factam ſtructuram, ſubdantur hæc verba: *Et ſic dicta Cappella ad laudem Dei, & honorem dictæ S. Zitæ, & ad decorem d. Eccleſiæ totalitèr eſt completa;* Notentur verbum *totalitèr*, quod relatum ad ædiſicium deſignat integrum illius corpus ex omnibus ſuis partibus conſtans *l. rerum mixtura. ff. de vſu capion. gl. in princip. Inſtit. de ſociet. verbo: totum*: vbi quod totalitatem ad vnam rem ſignat. *Pratei. in Lexic. verbo: totum. il 3. Surd. dec. 78. n. 12 Rot. dec. 164. n. 22. & trib. ſeqq. p. 8. rec.* vbi quod denotat omnimodam totalitatem, & tanquàm diſtributiuum particularium reſpicit corpus integrum conſiſtens ex ſuis partibus omnibus. Et verbum *completa*, quod ſignificat rei perfectionem in, & ex omnibus ſuis partibus *L. 1. & ib. gl. verbo: conſtat ff. de origin. iur. Rebuf. in l. qui in continentibus §. perfeciſſe verſ. itaque ff. de verbor. ſignif.*

Verùm, vt prioribus ſcriptis aduerti, dato non tamen conceſſo, quod Cappella non fuiſſet à nobis ex integro conſtructa, ſed reſtaurata, cum tamèn eam dotauerimus, adhùc iuſpatronatus acquiſitum nobis in ea eſſet, nàm in Cappella, vel Altari iàm conſtructo poteſt fundari Cappellania, & acquiri iuſpatronatus proptèr ſolam donationem *Spad. conſ. 4. n. 1. lib. 2. Rot. cor. Coccin. dec. 1367. n. 1. 2.*; Vndè multò magis per dotationem cum reſtauratione.

Iterùm Aduerſarij violentiæ nos inſimulant, eo quòd Confraternitatem noſtra è Cappella dimiſſimus, & Bancum quoddam, & Capſulam Elęemoſinariam Confraternitatis ex eà fecimus amoueri.

Aliàs dixi Confraternitatem fuiſse ex pacto dimiſ-

ſam, & non auctoritate noſtra, ſed Iudicis; ideò iure noſtro vtentes nemini iniuriam fecimus *l. ſi in meo. ff. de aqu. pluu. arc. cap. cum Eccleſia Vulterana de Elect. vbi gl. verbo, iniuriam.* Et Iudicem adeuntes omnem à nobis violentiæ ſuſpicionem auertimus *l. non eſt veriſimile ff. de eo quod met. cau. & l. 1. C. de his qui propt. met Iud. non appell.*

Bancum, & Capſulam aſportari fecimus, tùm quia de noſtra licentia ad nutum reuocabili ibi per Confraternitatem fuerant conſtituta; Tùm vt *Extra Eccleſiam* Confraternitati reſtituerentur, tali modo ea ſibi per nos reſtitui petenti ex deliberatione in plena eius Congregatione ſancita, quam ſcriptis prioribus retuli.

Ad hæc ſumma ratione ſcamnum, & Capſula aſporrata, ad remouendam ſcilicèt intercapedinem, & diſſonantiam, quam afferebant ornatu parietum Cappellæ in die Feſtiuitatis B. Zitæ; Peractumque id, non collecto hominum cætu, ſed per ſolos Portitores, ſine vi, ſinè Armis, & ſinè concertatione, quibus ceſſantibus Prætoris Edicto de vi locus eſſe non poteſt *l. 3. ff. de vi, & vi armat. l. 3. ff. vi bonor. raptor.*

Verùm quiſquis eſt æquus, & bonus vir, mirari non deſinet, quod qui Aduerſariorum partes tuentur, in tantam ſit ſcribendi licentiam prolapſus, vt nobis violentię crimen obiecerit; Cùm immò Aduerſarii vim nobis inferant præbendo Confraternitati conſilium, & auxilium, vt nobis vſum Cappellæ noſtræ, quem apùd Confraternitatem *precario modo, & ad tempus eſſe conceſſimus, recuperare uolentibus, nulla legibus cognita ratione, reſiſtant*, vt inquit *Tex. in l. non ab re C. vnde vi.* Cęterum duos huius Monaſterij Patres, qui iſtas in nos excitarunt turbationes, non minus amanter, quam reuerenter in Domino hortor, & obſecro, vt ſeſe tales deinceps exibeant, quales *Apoſtol. 2. Corinth. cap. 6.* præcipit, *nemini dantes vllum offenſionem, vt non vituperetur miniſterium eorum.*

Vltra

Vltra hæc repetita, &, vt ſuprà, reſoluta obiecta; audiui fuiſſe in aduerſariorum fauorem Typis commiſſa puerilia quædam; ſed eis reſpondere operæ pretium non exiſtimo, increpante *Seneca Epiſt.* 48., *&* 49. tempus in his non eſſe terendum; & ſubtiliùs eſſe talia contempſiſſe, quam ſoluere.

Quare, &c.

Poſt

Digitized by Google

POſt hæc ſcripta P.P. Laterenenſes agnito eorum malo iure, acquieuerunt; Quià verò pendeute controuerſia, D. Nicolaus Fatinelli amoueri fecerat è Cappella, & eſportari ab Eccleſia quoddam Bancum, & Capſulam Elemoſinariam Confraternitatis, eidem conſignandam extra Eccleſiam, P. P. Lateranenſes inſteterant apùd Reuerendiſſimum D. Flaminium Nobili Vicarium Generalem Virum integritate, & dpctrina preclarum, declarari eum incidiſſe in excommunicationem; Quæ inſtantia cauſam præbuit Viris doctis edendi pro dicti D. Nicolai defenſione ſequentia reſponſa; quibus permotus idem Reuerendiſſimus Vicarius, pronunciauit, eum in excommunicatione minimè incidiſſe; Teneri tamen in Eecleſia reponere, dictum Bancum, & Capſulam, ad effectum, vt poſſint; & debeant conſignari Confraternitati, per eam indè aſportanda, vt in ſententia, quæ infra ſubijcietur.

D. Nicolaus ab huius ſententiæ pertibus ſibi damnoſis appellauit ad Vrbem; Sed poſtmodum hortatu meo, vt quàm maxima exiberetur Eccleſiæ reuerentia, Bancum, & Capſulam ad Eccleſiam reportari curauit. Eaquè deinde Confraternitas, iàm, vt dictum eſt, à nobis è Cappella dimiſſa, ad votum noſtrum, ſumpſit, & aſportauit.

Sic tandem ceſſauit, quæ fuerat contrà familiam noſtram inſtituta vexatio, ad laudem Dei, & B. Zitæ, cuius etiam illis ipſis, qui *nobis inuident*, *opto preſidia*, vt cum D. *Ambroſio* loquar *Epiſt.* 54. *lib.* 7.

Fatinellus de Fatinellis in Romana Curia Aduocatus, nunc Ferrariæ Auditor, & Locum tenens Generalis ad Ciuilia.

LUCA-

LUCANA

PRÆTENSÆ

EXCOMMVNICATIONIS.

R. P. FAmilia de Fatinellis obtinet ex conſtructione, & dotatione Ius Patronatus Cappellæ ſub titulo, & inuocatione B. Zitæ in Eccleſia S. Frigidiani Canonicorum Regularium Lateranenſium, vt ex Inſtrumento fundationis de Anno 1410.

In hanc ipſam patronalem Cappellam recepit eadem Familia de Anno 1676. Confraternitatem tunc erectam ſub auſpicijs eiusdem Sanctæ, cui Confraternitati cōceſſit ad triennium, & titulo præcarij licentiam sè congregandi in dicta Cappella, cum prohibitione tamèn aliquid in ea innouandi, & apponendi Scamna ad ipſius vſum, niſi de licentia eiuſdem Familiæ, in ſcriptis obtinenda; ſi verò aliqua de licentia fuerint appoſita, liceret eidem, quandocumquè abiret, illa ſecum aſportare, vt in Inſtrumento conceſſionis recepto per Vrbanum Parenſium Notarium Lucenſem Anno 1676.

De anno 1685. ad intimationem d. Familiæ diſceſſit è Cappella Societas, & iuxtà conuenta in Inſtrumento, prò aſportatione ſuorum Supellectilium apùd Familiam inſtetit, cui cùm DD. Fatinellij præbuiſſent aſſenſum, ob-

ſtiterunt tamèn Canonici Lateranenſes, qui ſæpè ſæpiùs rogati, vt ſinerent aſportari,quæ ſibi iuſtè detinere nō poterant, ſempèr tamèm id pertinacitèr detrectarunt.

Adueniente autèm anno ſequenti Feſto B. Zitæ, D. Nicolaus Fatinellius, cui demandata fuerat à cæteris de Familia apparatus cura Cappellæ, cùm iterùm Canonicos inſtantèr rogaſſet prò amotione ſaltèm cuiuſdam Scamni ipſorum Confratrum, & Capſulæ eleemoſinarum *prò Societate* inſcriptæ,quæ Aulęorum ordinem, & conſonantiam dehoneſtabant, & illi perſtitiſsent in negatiua, aperta ſummo mane per Cuſtodem Eccleſia, ipſe adhibitis hominibus, qui ad ornandum Cappellam ibi exiſtebant, Scamnum, & Capſulam, quę ferreo nexu in pariete Sacelli pendebat, aſportare fecit extrà Eccleſiam, nullo ſibi reſiſtente, vt Confratribus petentibus reſtitueret.

Prò qua aſportatione prætendunt Canonici, D. Nicolaum incidiſſe in excommunicationem latam cōtrà Sacrilegos bonorum Eccleſiæ raptores *in can. quiſquis, & can. Sacrilegium*. 17. *quæſt*. 4.

Vel ſaltèm per Ordinarium eidem præcipi ſub pœna excommunicationis, quatenùs infrà terminum aſſignandum ſatisfactionem præſtet Eccleſiæ, omnia in priſtinum reponendo.

Verùm nec D. Nicolaus incidit in excommunicationem, nèc Ordinarius eorum poſtulationibus annuere de iuſtitia poteſt.

Et vt veritas primæ propoſitionis clariùs appareat, prænotare libet Sacrilegij definitionem aſſignatam à D. Th. 2. 2. *quæſt*. 99. *art*. 1. nempè Sacrilegium eſt rei ſacræ violatio; quam definitionem amplectitur *gl. in d. can. ſacrilegium*. verbo *Sacrilegium*. *Bald. in l*. 3. *num*. 4. *C. de furt. Decian. tract. criminal. lib*. 6. *cap*. 14. *num*. 1. *Layman. lib*. 4. *tract*. 10. *cap*. 7. *n*. 1. & eſt communis omnium Theologorum.

Hæc autem violatio contingere poteſt vel circà perſonas,

ſonas, vel circà res, vel circà loca Deo dicata, iuxtà triplicem ſpeciem ſacrilegij aſſignatam *à D. Th. d.q. 99. art. 3. Azor. inſtit. moral. p. 1. lib. 9. cap. 27. quæſt. 2.* præter quas alia nulla ſpecies huius criminis reperitur, vt aduertit *Decian. d. l. 6. cap. 34. n. 45.* At verò aſportatio, de qua agitur, ſub nulla ex aſſignatis ſacrilegij ſpecie reperitur, quapropter nulla ſacrilegij pœna plecti poterit.

Quod enim attinet ad perſonas, non ambigitur, cùm nulla perſona fuerit violata, vt patet.

Paritèr nec dici poteſt, quod fuerit violata res Sacra, quià prætèr ſtatim dicenda, reſponderi poſſet, quod res aſportatę non ſunt conſecratæ, non benedictę, nequè cultui Diuino ſpecialitèr mancipatæ, quibus conditionibus res efficitur Sacra ſecundùm *D. Th. in d. art. 3.* & quibus omnibus, vt in præſenti, deficientibus, res nullo modo dici poteſt ſacra, vt per *Decian. d. l. 6. cap. 30. n. 19.* quem ſequitur *Farinacc. q. 172. n. 56.* ſed exiſtebant in Cappella ad cõmodum, & vſum Confraternitatis, in cuius dominio permanebant, cùm non alitèr illò fuerint delatæ, quàm animo illas aſportandi ſecum in caſum diſceſsus, vt apparet ex ſuprà recenſito pacto in Inſtrumento conceſſionis, & ex inſcriptione, quæ tàm in Scamnis, quàm in Capſula eleemoſinarum legitur, nempè *della Compagnia di Santa Zita*.

Nequè huic aſportationi impingi poteſt macula ſacrilegij, ex quo ſaltèm non ſacrum de loco ſacro fuerit ablatum, *iuxtà Text. in can. quiſquis §. ſacrilegium. 17. quæſt. 4.* Nàm Textus ille loquitur in caſu, quo fuerit commiſſum furtum de re non ſacra in loco ſacro, quem intellectum exprimunt *ibidem gloſſ. in verbo non ſacrum, & Archidiac. n. 2.* & in hoc paritèr ſenſu loquũtur *can. omnes Eccl. can. ſacrilegium. ead. cauſ. & quæſt.* cæteraq; Iura, quæ ad hunc effectum allegari poſſunt, vt legentibus patet; Dicitur enim ſacrilegium in hoc ſenſu committi, quandòquis ſacra, aut de ſacro legit, ideſt furatur, inquit *Foller. pract. crim. cano-*

nic.

*nic.p.2.cap.*17.*n.*2. & ità ſentiunt D. D. omnes, adeò vt puerile admodùm eſſet in hoc probando immorari. In caſu autèm noſtro nullum furtum contigit, cùm Scamnũ, & Capſula non fuerint aſportata animo eadem lucrandi, quod omninò requiritur prò ratione conſtitutiua furti, prout habetur ex illius definitione, quæ traditur in *l.*1.*§.furtũ.ff.de furt.* ſed reſtituendi Dominis petẽtibus, vt teſtantur iteratæ inſtantiæ Canonicis factæ ad hoc, vt permitterent Confratribus res ſuas habere; id quod etiàm eliminat omnem penitùs furti ſuſpicionem, quia dùm res, de cuius furto quis imputatur, accipitur de voluntate Domini, vt in caſu noſtro, non dicitur furtiua, quià furtum committitur inuito Domino. *Clar. in §.furtum.n.*21. animus enim, & voluntas maleficia diſtinguunt *l. qui iniuria. ff. de furt.* nèc factum quæritur, ſed cauſa faciendi *l. verum eſt, in princ. ff. eod,*

Illud verò, quod aſſeritur ex parte Canonicorum, Scamnum ſcilicèt, & Capſulam fuiſse in cuſtodia Eccleſię, omninù falſum oſtenditur, ex eo enim, quòd Confratres enixè prò reſtitutione talium rerum inſtabant, reuocata fuerat cuſtodia, ſi quæ forsàn eis fuiſset ab initio commiſſa, quæ cum eſset in fauorem tantùm ipſorum Confratrum, vtique licebat eis quandocumquè illam reuocare, *ad text. in l.*1.*§.ſi ſic.ff. depoſiti,* & ampliùs non poterat dici cuſtodia, ſed iniuſta retentio, ob quam, poterant res illæ ab eorum manibus violentèr auferri *Azor. Inſtit. moral. part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 15. *quæſt.* 1. & 3. *Farinacc. de furt. quæſt.* 177. *n.*111.

Accedit, quod iſta aſportatio nè dùm licita fuit ex parte rei aſportatæ, vtpotè quæ Dominis petentibus reſtituenda erat, vt ſuprà dictum eſt, ſed etiàm ex parte D. Nicolai, qui illam iuſſit; Nàm in Inſtrumento fundationis Cappellæ de Anno 1410. conuentum fuit intèr Canonicos, & Familiam de Fatinellis, *vt liceat in perpetuum di-*

ſta

& a Familia quæcumque ædificia, & ornamenta facere in dicta Cappella, de quibus eis videbitur, & quod nullum poſſit eis impedimẽtum dari quouis quæſito colore; Dùm igitùr D. Nicolaus Scamnum, & Capſulam iuſſit amoueri, quæ ſibi erant impedimento Cappellam ornanti, vſus eſt iure ſuo, & fecit quod ſibi ex lege conuentionis licebat, adeòque nullam culpam commiſit, quod enim lege permittente fit, rectè fit, & pœnam non meretur *l. Gracchus.C. ad l. Iul. de adult.* poterat etenim etiàm de facto tueri iura ſua àduersùs turbationes Canonicorum, qui adeò peruicacitèr reſtiterunt petitæ aſportationi, vt ſatis probauit D. Fatinellus Patruus meus in ſua Conſultatione impreſſa ſupèr ipſis turbationibus per PP. Lateranenſes illatis Familiæ noſtræ circà vſum, ſeù vſuale dominium Cappellæ, qui ſanè Canonicorum conatus eò vehementior apparebat, ex quo prætextu venerationis debitæ loco Sacro, violentiam nobis, & Confraternitati per eos illatam indebitè defendere volebant, immemores, quod reuerentia Religionis Dominos iure ſuo fraudare non debet, vt dicitur *in can. conſtituit.§.verum. 17.q.4.*

Ex quibus neceſſariò ſequitur, quod nequè vlla Eccleſiæ facta fuerit violatio, cùm enim actus aſportationis licitus fuerit, non potuit loci Sacri venerationem temerare; quãdoquidèm ſimplex violatio loci Sacri (nõ loquor de pollutione, quæ fit per sãguinis, vel ſeminis effuſionem) contingit vel per effractionem, *vt in cap. conqueſti. de ſent. excom. can. ſicùt antiquitùs.17.quæſt.* 4. vel per incendium, *vt in cap. in litteris. de raptor. & can. ſi quis Eccleſiam. 17. quæſt.* 4. vel per furtum, vt in ſæpè memorato *can. quiſquis. §. ſacrilegium*, vel per hominis extractionem, *vt in can. ſicut antiquitùs. can. miror. cum cæteris. ead. cauſ. et quæſt.* vel demùm per occupationem armata manu, per exercitium fori, aut conuerſionem loci Sacri in prophanum vſum, & habitationem, de quibus latè *Decian. tract. crim. lib. 6. cap. 24. ex num.* 3. Conſtat autèm nullum ex his actibus iniurioſis in caſu

no-

noſtro interueniſſe, vt vèl ex ipſa Canonicorum querimonia dignoſcitur, quà proptèr aſportatio prædicta nè dùm à ſacrilegij crimine vacat, ſed ab omni prorsùs culpa vindicatur.

Hinc ſatis apertè colligitur, quàm perperàm Canonici apud Ordinarium inſtet prò ſatisfactione ſub pœna excommunicationis D. Nicolao præcipienda, nàm ſatisfactio cùm fiat per adæquationem ad recompenſationem culpæ commiſsæ, ſecundùm *D. Th. 3. part. quæſt. 1. art. 2. ad ſecundum*, locum habere nequit, vbi culpa non præceſſit, prout in caſu noſtro ex ſuprà firmatis, ideò iuſtè indici nequaquàm poteſt, *quià is tantùm pœnæ ſubdendus eſt, quem reatus inuoluit*, inquit *D. Leo Epiſt. 89. ad Epiſcopos Viennenſis Prouinciæ*, & multò minùs ſub pœna excommunicationis, quæ nullatenùs D. Nicolaum innodaret, vtporè iniuſta ex parte cauſæ, per ea quæ tradunt *Layman. lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 6. n. 3. Bonaccin. de legib. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 7. §. 3. Homobon. de exam. Eccl part. 2. tract. XI. cap. 2. quæſt. 2. ſuppoſ. 4.* Et ſi tale nihilominùs præceptum extorqueatur, quod crere non eſt iuſtum, eius amaritudo dulcorabitur per D. Nicolaum illis verbis Prophetę teſtantis, quod Dominùs *non damnabit eum, cùm iudicabitur illi, vt in pſal. 36.* quæ repetit ſummus Pontifex *Innoc. IV. in cap. 1. de ſent. excom. in 6.* vbi ait: *Quod æterni Tribunal Iudicis illum reum non habet, quem iniuſtè Iudex condemnat.*

Nèc PP. Lateranéſes prætenſæ excōmunicationis iuſtitiam expiſcari poſse putent in Mari Magno Sixti V. vel in Priuilegijs Paſchalis II. & Innocentij II. in fauorem Canonicorum Lateranenſium, & multò minùs ex illis, quę per communicationem cum alijs Regularibus participant, quià huiuſmodi Priuilegia debent intelligi ſecundùm intentionem legis ſcriptæ, & rectæ rationis, vt monet *Roderic. quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 4. art. 2* non enim Papa pręſumitur velle aliquid iniuſtum ſecundùm *Bald. in Auth. hoc intèr. C. de donat.* & in conceſſione Priuilegij nunquàm al-

teri

teri præiudicium inferre vult, *cap. ex multiplici. de decim. cap. ex tuarum. de authorit. & uſu pall. Abb. in cap. quæ in Eccleſiarum. num. 11. de conſtit. Roderic. quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 80. art. pr. in fin.* Et fieri non poteſt, quod Eccleſia, quæ eſt mater, & cultrix iuſtitiæ velit, ſuis priuilegiis violentias fouere, qualis eſt illa P.P. Lateranenſium, res alienas, inuito, & reclamante rationabilitèr Domino retinendi.

Quarè, &c.

Io: Iacobus Fatinellius I.V.D.

Digitized by Google

LUCANA
PRÆTENSÆ
EXCOMMUNICATIONIS.

ASportatio Scamni, & Capſulæ, prò eleemoſinis à Cappella S. Zitæ Virginis, exiſtente in Eccleſia S. Frigidiani Canonicorum Regularium in Ciuitate Lucana, extrà præfatam Eccleſiá die 27. Aprilis 1686. nullo pacto fuit ſacrilega; Nèc qui de Fatinellia Familia hanc juſſit, & faciendam curavit, nèc illi, qui peregerunt, in ullam excommunicationis Cenſuram inciderunt, ac proindè nequit Ordinarius ad vanam Canonicorum inſtantiam aliquam Eccleſiæ satisfactionem ſub pœna excommunicationis, vel alia qualibèt, præcipere.

Et quod non fuerit ſacrilega patet, quia in ipſa non concurrerunt, quæ ad eſſentialem, & conſtitutivam ſacrilegii malitiam ſunt neceſſaria, iuxtà *Iſid. lib. 1. Origin. litt. S. D. Th. 2.2. quæſt. 99. art. 1. Decian. tract. crim. lib. 6. cap. 14. num. 9.* ab omnibus D. D. receptos. Defuit enim

rei Sacræ furtum, cùm Scamnum, & Capſula non fuerint Canonicorum Regularium, ſed Societatis illorum hominum, qui olim ad intimationem Familiæ Fatinelliç Patronæ de dicta Cappella recedentes, apùd ipſam prò aſportatione ſuorum ſupellectilium, & præcisè ſcamnorum, inſteterunt, & obtenta licentia aſportandi, sempèr fuerunt à præfatis Canonicis indebitè impediti; Vndè ſi Scamnum, & Capſula fuerunt de Cappella ablata, & extrà Eccleſiam, ad effectum conſignandi dd. Confratribus petentibus aſportata, talis aſportatio caruit omni malitia, quià res aliena invito Domino nō fuit ablata, immò potiùs ipſi Domino inſtanti reſtituta, vel saltèm in ſtatum proximæ reſtitutionis poſita. Defuit quoquè rei sacræ violatio, quæ ut talis ſit, nè dùm fieri debet per actionem contrà voluntatem Divinam, ſed inſupèr contrà voluntatem ejus, cujus res eſt *Cajetan. in 2. 2. quæſt. 99. art. 2.*; Nullo autèm pacto fieri poteſt, quod ſit contrà voluntatem Divinam, rem proprio Domino reſtituere, & quod ille, qui inſtat prò rei propriæ reſtitutione, nolit poſteà, ut ſibi reſtitutio fiat. Fuit quidèm contrà Canonicorum Regularium placitum, sed illi, vt dictum fuit, non erant Domini, nèc tale Scamnum, & Capſula ad ipſos pertinebāt, licèt non poſsent è Cappella aliò extrà Eccleſiam tranſportari, niſi fieret tranſitus per d. Eccleſiam.

Nèc valet allegatio *cap. Quiſquis.* 17. *quæſt.* 4. nàm in ipſo *Cap.* nō inhibetur, nèc sacrilega declaratur quælibèt ablatio rei sacræ aut nō ſacrę de sacro, ſed iniuſta dumtaxàt, & quæ fit cū violatione Domus Dei, & injuria Eccleſiaſticarū perſonarū *gl.* ibidèm *verbo ſi quis injuriam, & cap. canon.* 12. *q.* 3. qualis non eſt in noſtro caſu ablatio Scamni, & Capſulæ, in qua nulla injuſtitiæ nota dignoſcitur, nèc Domus Dei violatio, nèc Canonicorum injuria, cùm non ſit ablata res aliena, nèc de loco sacro alieno, ſed potiùs de proprio, ideſt de propria Fatinelliorum Cappella, vt proprij Dominis inſtantibus reſtitueretur, in qua auferenda D. Fatinel-

lius uſus eſt jure ſuo. Qui autèm jure ſuo vtitur, nemini facit injuriam, nèc dolo facere videtur. *l. nullus ff. de reg. iur. cap. cùm Eccleſia de elect. l. injuriarum. §. 1. ff. de injur.* & ille ſolùm injuſtitiam committit, qui detrahit Eccleſiæ ius ſuum. *cap. Omnes. diſt.* 22.

Hinc eſt, quod D. Fatinellius, qui aſportationem Scamni, & Capſulæ juſſit, & faciendam curavit, nèc illi, qui aſportarunt, nullam excommunicationis cenſuram incurrerunt, quià cùm excommunicatio ſit pœna, qua nulla in Eccleſia major *cap. corripiantur. 24. quæſt. 3. Abb. in cap. cùm dilectus. num. 6. de his, quę vi met. cau. fi.*, nullum afficere poteſt, niſi priùs contumacitèr, & inobedientèr obnoxius ſit peccato mortali per actionem peccaminoſam, cui adnexa ſit talis excommunicatio lata vel ab homine, vel à Jure *Concil. Meld. c. 56. Lateranen. 4. c. 47. Navarr. in Manuàl. cap. 27. num. 9. Covarr. in cap. Alma Mater p. 1. §. 9. num. 4. Vgolin. de Cenſur. tab. 1. cap. 17. §. 7. & cap. 18. §. 3. Abb. in cap qua fronte. n. 7. de appellat.*, *& in cap. ſignificavit num. 1. & 4. Henriquez. lib. 13. cap. 17. §. 3*, & quod excommunicatio Juris non inferatur niſi ob crimen, deciſit Sacra *Rota deciſ. 9. n. 2. in antiq.*; Aſt nullum crimen commiſerũt, qui de propria Cappella, (ab Anno 1410. fundata, & dotata cũ ampliſſima reſervatione Juriſpatronatus, & ſepulturæ privativè quo ad alios, & aliarum præeminentiarum, & facultatum, præcipuè faciendi, & fieri faciendi in perpetuum, quæcumque ædificia, & ornamenta, de quibus eis videbitur, prò decore, & tegumento dictæ Cappellæ, & eis ſic ædificantibus, & reparantibus, nullum poſſit impedimentum dari, vel præſtari quovis quæſito colore) ; aſportare fecerunt Bancum, & Capſulã, vt traderent illis pſis, quibus, ex pacto inito in Inſtrumento conceſſionis uſus Cappellæ, tenebantur reſtituere, quandocumquè diſcederent è Cappella ipſa, & qui apùd ipſos Cappellæ D.D. prò tali reſtitutione jugitèr inſtabant. Perperàm igitùr prætendunt Canonici Regulares, D. Fatinellium ex

hoc

hoc facto excommanicationem latæ ſententiæ incurriſſe, cùm in eo nihil attentati, nihil mali mortiferi agnoſcatur, niſi ex parte Canonicorum, qui res alienas inuito Domino retinere volebant.

Nèc. *Cap. quiſquis.* 17. *quæſt.* 4., & cætera Jura, quæ adducuntur ab ipſis cum Peiuilegiorum, & Bullarum Myriade tanquàm eorum Achilles, faciunt ad rem noſtram, sed ſolùm in eos, qui eminùs hæc intuentur, cominùs verò appropinquare non audent, & in ipſo fonte legere, & videre, vanum timorem incutiunt; Cùm enim omnia hæc tàm vniverſalia, quàm particularia Iura clament cōtrà rerum Eccleſiaſticarum raptores, & violatores, qui furtum in Eccleſia committunt *cap. Canonica.* 11. *quæſt.* 3. *cap. omnes Eccleſiæ.* 17. *quæſt.* 3., vel Eccleſiaſtica privilegia contemnunt, *cap. qui & diuinis.* 12. *quæſt.* 2., ut tenent *Suar. de Relig. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 7., & communitèr omnes Canoniſtæ cum *gl. in d. cap. quiſquis, & cap. Sacrilegium*, patet, locum non habere in caſu noſtro, ubi nulla Eccleſiæ violatio, nullus raptus, nullum furtum, nullius Eccleſiaſtici Privilegii uſus, & exercitium elucet.

Quod ſi *Bulla Maris Magni Sixti V. Bulla Aurea, Priuilegium particulare Paſchalis* 11. *Innocentij II.* & aliorum Summorum Pontificum ſub pœna excommunicationis latæ Sententiæ inhibent, nè Canonici Regulares in ſuis rebus, & in exercitio ſuorum Priuilegiorum moleſtentur, videant ipſi Canonici Regulares, àn Bancum ablatum cum Capſula ſuum ſit, àn Societatis S. Zitæ; àn ablatum de ſua Eccleſia, àn de Cappella Familiæ Fatinelliæ; Videant, àn ſuorum Privilegiorum exercitium det illis facultatem ſupèr ea, quæ ſua non ſunt, & juſtè impediendi, nè quis vtatur iure ſuo, & de loco proprio non aſportet, quæ ſua ſunt; & ſi proſpiciant, Bancum cum Capſula suum eſſe, & de ſua Eccleſia ablatum, & virtute ſuorum Priuilegiorum jus in rebus alienis acquiſivisse, talia Priuilegia decantent; ſi autèm hæc minimè ſibi convenire cognoſcunt, ta-

ceant

ceant, & ſi quid ſcandali in hoc caſu adfuiſſe contigerit, totum in ſuam cauſam, quæ ſe tenuit ex eorum parte, refundant. Familia Fatinellia Societatem non de Eccleſia Canonicorum licentiavit, nèc de eadem Bancum, & Capſulam eiuſdem Societatis fecit aſportare, ſed de Cappella ſui Iuris patronatus, in quam titulo precario eamdem Societatem receperat, cum pacto, ut abiret, & ſecùm omnia ſua ſupellectilia aſportaret, quandocumquè dictæ Familiæ uiſum eſſet; Vndè nullum delictum adeſt contrà Eccleſiam Canonicorum, nèc contrà manutentionem Confraternitatum in ipſa.

Demùm nequit Ordinarius ad vanam Canonicorũ Regularium inſtantiam aliquam Eccleſiæ ſatisfactionem ſub pœna excommunicationis præcipere; Nàm quicquid à Iudice Eccleſiaſtico ſub excommunicationis pęna præcipitur, debet eſſe iuſtum, & rationabile, vt iuſta ſit excommunicationis ſententia, quæ ſi cauſam iuſtam, & rationabilem non habeat, eſt iniuſta. *cap. Sacro. de Sent. excom. & ibi gl. in verbo. rationabili. can. nemo. 2. queſt.* 1. *cap. vt debitus. de appellat. D. Greg. lib.* 2. *Ep.* 34. *Io*: 8. *Ep.* 173. quale non eſſet in caſu noſtro pręceptum ſatisfactionis dandæ Eccleſiæ Canonicorum, cui aſportando Bancum, & Capſulam de Cappella S. Zitæ extrà ipſam, nulla facta eſt iniuria; *Bulla* enim *Calixti II.* quæ incipit *ſalubri* edita in favorem Canonicorum Regularium, quæque ſub pęna excommunicationis ferendæ, inhibet, aliquid violentèr aſportari de ambitu Eccleſiæ, Cœmeterij, & Clauſtri, d.d. Regularium intelligitur, quotiès in ambitu Eccleſiæ, Cœmeterij, & Clauſtri, non ſit aliqua portio loci, de qua legitimo Contractu sè privaverint d. d. Canonici; in tali etenim caſu, qui de dicta portione loci aliquid, etiàm violentèr, aſportaret, non diceretur aſportare de ambitu Cęmeterij, Eccleſiæ, & Clauſtri Canonicorum, sed de ſua propria ſede, & per conſequens priuilegium illius Summi Pontificis nequaquàm violaſſet, nèc in pœnas

ab

ab illo latãs incurriſset, vt contigit in caſu noſtro, ubi de ambitu quidem Eccleſiæ aſportatum fuit Bancum cum Capſula, ſed de illa portione loci, ubi fundata eſt Familiæ Fatinelliç Cappella, quæ per legitimum contractum initum intèr R. R. Canonicos Regulares, & Stephanum, & Bartholomæum de Fatinellis, non pertinet ampliùs ad Canonicos, ſed ad Fatinelliam Familiam; Immò additur, quod hęc Banci, & Capſulæ aſportatio non fuit violēta, cùm in actu dictæ aſportationis, nulla aſportatoribus facta fuerit reſiſtentia, ac proindè nulla Canonicis, ſivè eorum Miniſtris potuit facta eſse violentia, per quam violata dici poſſit Bulla Calixti; Vndè locus eorum vanis poſtulationibus apùd Ordinarium non datur, qui memor *Cap. in cunctis. 11. quæſt. 3.*, ubi aſſeritur, fruſtrà ab homine aſpernari, quem Deus iuſtificat, in præſenti emergente ſumma ſua ſolita, & admiranda utetur prudentia.

Quarè, &c.

Franciſcus Caſtracanius Canon. Ferrarien: I. V. D. Vic. perp. S. Rom. ac S. Offic. Conſultor.

LVCA-

LUCANA

PRÆTENSÆ

EXCOMMUNICATIONIS.

De Anno 1410. Familia DD. de Fatinellis fundavit, & dotavit Cappellam S. Zitæ Virginis in Eccleſia S. Frigidiani Canonicorum Regularium, reſeruato ſibi Jurepatronatus, aliiſque pręeminentijs, & facultatibus cum pleniſſimo conſenſu eorumdem Canonicorum, ut in inſtrumento fundationis.

De Anno 1776. eadem Familia conceſſit quibuſdam hominibus, ut in dicta Cappella Confraternitatem erigerent, quæ conceſſio duraret per triennium, & titulo pracario, & cum prohibitione non apponendi ſedilia ad eorum uſum, niſi de expreſſa eorumdem D.D. de Fatinellis licentia, in ſcriptis obtinenda, adiecto etiàm pacto expreſſo, quod eiſdem Confratribus liceret ea ſedilia, ſi quę de licentia forent appoſita, auferre, & aſportare, quandocumquè dimitterentur ad libitum eiuſdem Familiæ.

De Anno 1685. dicti DD. de Fatinellis iudicialitèr di-

miſe-

miſerunt ex cauſis ſibi benè viſis dictos Confratres ab ea Cappella, qui licèt primò ſubornati obſtarent, poſteà tamèn meliùs conſcij acquieverunt, & receſserunt, ac ſimùl juxtà conventionem inſteterunt prò aſportandis ſedilibus, quod per DD. de Fatinellis non fuit denegatum; reſtiterũt tamèn Canonici illi, in quorum Eccleſia erat Cappella, & pluriès amicabilitèr requiſiti ſempèr obſtiterunt.

Vt autèm illuxit dies feſtus ejuſdem S. Zitę, aperta sũmo mane Eccleſia per Cuſtodẽ eiuſdem, Vnus de Familia prędicta Eccleſiam ingreſsus, adhibitis hominibus ibidem exiſtentibus ad finem ornandi Cappellam, nullo ſibi reſiſtente, aſportare fecit Sedile, per Confratres appoſitum, & aſportari petitum, & Capſulam muro affixam pro colligendis Eleemoſinis oblatis pro eadem Societate, ad effectum ea omnia conſignandi Confraternitati petẽti.

Prætendunt modò Canonici, illum de Fatinellis authorem talis aſportationis ipſo facto incurriſse excommunicationem latam contrà Sacrilegos Violatores, & Spoliatores Eccleſiarum.

Vel ſaltèm ab Ordinario præcipiendum ſub pęna excommunicationis incurrendæ, quod infrà terminum aſſignandum ablata reſtituat.

Verùm nèc in primo veritati nituntur, nequè in ſecundo ſunt exaudiendi.

In primo quidèm, quia ſupponunt, D. de Fatinellis delictum tale perpetraſse, per quod incurratur ipſo facto excommunicatio, quòd omninò non verificatur, proùt conſtabit in reſolutione ſecundæ partis, quod ſufficeret pro plena ſolutione totius difficultatis.

Attamèn etiàm dato, non conceſso aliquo delicto, illud non eſt tale, pro quo ipſo jure impoſita ſit excommunicatio, vt conſtabit, ſi ad ſingula Iura tùm allegata exadverſo, tùm quæ abundantiùs poterãt allegari, dignis conſiderationibus deſcendamus.

Canones ex adversò allati ſunt *Can. ſacrilegium. can. om.*

nes Eccleſiæ. can. quiſquiſ. 17. quæſt. 4. can. Canonica inſtituta. 11. quæſt. 3. cap. conqueſti. de ſent. excom.

Allegantur & Privilegia tùm per ſpecialem conceſſionem, tùm per communicationem cum Regularibus eiſdem Canonicis competentia, proùt aſſerunt, quæ tamèn non convincunt intentum.

Nam *Can. Sacrilegium*, ex ipſa littera conſtat non facere ad caſum, verba enim ſunt hæc: *Sacrilegium, & contrà leges eſt, ſi quis quod Venerabilibus locis relinquitur pravæ voluntatis ſtudijs ſuis tentaverit compendijs retinere.* Ex quibus verbis primò patet, definiri quid ſit Sacrilegium, ſed nulla imponitur pęna, itaut *Card. de Turrecremata, ibidem num. 9.* quærendo quæ nàm ſit pęna Sacrilegij, diſtinguat, quod in ſimplici Sacrilegio ſit pecuniaria, in Sacrilegio verò in perſonam ſit excommunicatio *can. ſi quis ſuadente 17. qu 4.* ob Sacrilegium autèm in rem nunquàm impoſita ſit excommunicatio, niſi ſit qualificatum cum fractura, aut incendio, iuxtà *cap. conqueſti. de ſent. excom.*

Tùm quià littera loquitur, ſi quis tentaverit retinere relicta, ideſt legata pia facta per Teſtatores, quæ nullatenùs caſui noſtro aptantur, vt patet.

Quoàd *Can. omnes Eccleſiæ.* ubi dicit: *Omnes Eccleſiæ Raptores, atque ſuarum facultatum alienatores à liminibus Sanctæ Matris Eccleſiæ anathematizamus, Apoſtolica authoritate pellimus, & damnamus.* Noto, litteram loqui de raptoribus bonorum, & facultatum Eccleſiæ, undè *Barboſ. in eod. can. omnes.* ſummando dicit; quæ *in dominio ſunt Eccleſiæ, & Reginal. ſum. lib. 19. cap. 4. ſub. num. 57. verſ. pertinet ſextò,* vbi quod iſte Canon, & alij ſimiles loquuntur de bonis deputatis ſuſtentationi Miniſtrorũ Eccleſiæ, legatis, & Decimis. *Antonell. de regim. Eccl. lib. 6. cap. 26. ſub num. 3.* cõcordat. Sedile autèm & Capſula aſportata in noſtro caſu non erant Eccleſiæ, neque in dominio Eccleſię, ſed Societatis, quæ ab Eccleſia diſceſſerat, & ex pacto, & conventione jus habebat ea tranſportandi; non ergò aptatur littera facto.

In caſu

In caſu quoquè, quo rapiuntur res Eccleſiæ adhùc valdè diſputatum eſt à DD. an ſit Canon latæ Sententiæ, quapropter *gl. in Verbo. anathematizamus. notat*, quod ſolùm Violatores Eccleſiarum intelliguntur, qui Eccleſiam frăgunt, aut incendunt, & rapiunt, iuxta *cap. Conqueſti. de ſent. excomun.* ſecundò reſpondet, eatenùs raptores Eccleſiæ excommunicationem incurrere, quatenùs ab Epiſcopo fuerit impoſita in ipſa Eccleſiæ conſecratione, vel quando res fuerit Eccleſiæ donata, & tunc raptor ipſo facto incurrat, non ratione Sacrilegij, ſed ratione ſententiæ dudùm latæ; quaſi quod Lucius Papa in hoc Can. non ſit novi conſtituti promulgator, ſed veteris exequutor, iuxtà *Text. in can. Achacius, & can. Maiores noſtri. 24. queſt. 1. & in cap. à nobis. de ſent. excom.* ibi: *excõmunicatos nuntietis* Tertiò *gl.* paritèr notat, quod ſi conſuetudo loci habet, quod tales ſint excommunicati, tunc eſt ſeruanda, quæ conſuetudo in Civitate Lucana non eſt, nèc forsàn in alia Italiæ parte, & ſi quis conſuetudinem aſſereret, cum ſit quid facti, probare debet.

Turrecrem. poſt *Hug.* ſentit, quod iſte Can. *omnes Eccleſiæ* nõ ſit latæ ſententię, & quod non ſit Vniuerſalis, quaſi faciens ius commune; ità & *Bonaccin. de excom. in partic. diſp. 2. quæſt. 3. p. 12. ſub num. 9. in reſponſ. ad 2.* obiectum, ſed quod Lucius Pontifiex excommunicaverit ſpecialitèr quosdàm raptores, & Sacrilegos, qui tunc temporis commiſerant Sacrilegium. Vel idem *Turrecrem.* interpretatur, quod illud *anathematizamus*, ideſt dignos anathemate, niſi ſatisfaciant, judicamus, juxtà ea quæ ſcripſit *B. Hieron. ſup. Epiſt. Paul. cap. 1. ad Tit. relatus in can. vereor. 8. quæſt. 1.* ea proptèr *Sayr. de cenſur. lib. 3. cap. 29. ſub n. 14. in fin.* dubitativè recitat, an. *d. Can. Omnes Eccleſiæ* ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ.

Suar. de Cenſur. diſp. 22. ſect. 2. ſub num. 8. dicit, illud verbum *anathemathizamus* in eo Can. Omnes Eccleſiæ, non

debe-

bebere ſumi prò lata ſententia quia ſic non eſt uſu receptú ſed prò eo quod Pontifex anatematizationem approbat, ſi fiat, & declarat reos illius ſacrilegij dignos tali pœna; Tùm quia ibi Pontifex non condit legem, ſed ſolùm doctrinam tradit.

Ex quarum ſententiarum, & interpretationum diverſitate hoc tanquàm certum colligitur, non eſſe certum, ſed ad ſummum dubium, utrum Canon ille ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, undè certa ſequitur concluſio, quod in dubio juris nemo cenſetur ipſo jure exeommunicatus *Suar. de Cenſur. diſp. 15. ſec. 3. num. 6. Sanch. ad Decal. lib. 1. cap. 10. d. 55. 56. Bonaccin de Cenſur. in com. diſp. 2. queſt. 2. p. 6. §. 2. n. 49.* Eſt etiàm apùd DD. prò certo poſitum, quod nõ incurritur Cẽſura niſi ſit in iure expreſſa, etiàm quò ad modum, *per text. in cap. is qui. de ſent. excom. in 6.*, vbi latè *Barboſ. num. 4. Sanch.* ſatis luculenter arguit *d. lib. cap. 10. num. 42.*

Sicque ad caſum noſtrum, ad repellendos Canonicos Actores ſufficit reddere rem dubiam ad tradita per *Buratt. dec. 410. n. 12. per reg. iur. in 6.* in obſcuris minimum eſt ſequendum *reg. 15.* odia reſtringi convenit, *& reg. 11.* cum ſunt partium iura obſcura reo fauendum eſt potiùs, quam actori; & actore non probante reus abſolvitur præciſè per non ius actoris *l. actor. C. de probat. cap. ex litteris de probat.*

Quòad *Can. Quiſquis* Littera eſt: *Si quis Domum Dei violaverit, & aliqua indè abſtulerit, &c. ſciat, sè communione priuatum.*

Ex littera patentèr colligitur, ad incurrendam excommunicationem ex vi huius Canonis duo requiri, *pr. Domum Dei violaverit, 2. aliqua inde abſtulerit*. Per primum importatur, quod materiale Eccleſiæ violetur per effractionem, vel incendium *Suar. de Cenſur. diſp. 22. ſec. 2. nu. 9.* & patet ex præcedentibus *in eod. cap.* ibi: *Sacrilegiũ cõmittitur ſi quis infregerit Eccleſiam &c.* quod cum non verificetur in caſu noſtro, non facit ad rem.

Tùm

Tùm quia *Bonaccin.ſup. num. 9. in reſponſione ad 3. obiectum* dicit, non conſtare de cuius communionis privatione, in eo Tex. ſermo ſit, & quod ex littera tota lege perſpecta, potiùs colligitur eſſe ferendæ, quàm latæ ſentétiæ per verſ. ibi: *veluti Sacrilegi Canonica ſentētia ſubiugentur*, ex qua littera etiàm *Suar. d. num. 9. ad fin.* dubitat; Sed dubitatio ceſsat, ſi conſideremus verbum *Sententia*, & verbum *ſubiugentur*, ubi enim requiritur ſententia ſubſequutura, nunquàm eſt latæ ſententiæ; ſicuti & quandò indicatur Cenſura per verbum ſubiunctivi temporis, ad tradita ex communi per *Megal. de Cenſur. p. 3. lib. 1. cap. 5. q. 2. n. 8.* tunc eſt ferendę, non latæ ſententiæ.

Quoad Can. *Canonica inſtituta*. notatur x, quod eſt Canon Concilii Arauxicani, & ſic Provincialis, qui extrà illam Provinciam non ligat; Deindè gl. ibi notat, per hunc Tex. Concilium docere qualitèr Epiſcopus ſententiam ex communicationis formare debeat; Tùm quia loquitur de Violatoribus Eccleſiarum, qui intelligi debent ex ſuprà notatis, de effractoribus, vel incendiariis materialis Eccleſiæ, qua proptèr *gl. in verbo violatores.* intelligit. *hunc Text.* cócordare *cum cap. conqueſti. de ſent. excom. & can. omnes Eccleſia 17. q. 4.* quę omnia etiá cófirmat *Suar. ſup. n. 7. & Turrecrem. in eod. cā. n. 2.* dicit. *Violare Ecclām eſt frāgere vel incēdere*.

Quoad cap. *conqueſti de ſēt. excom.* Clariſſima eſt evaſio, ibi enim ad incurrendá excómunicationē duo copulatiuè requiruntur ex littera, ſcilicèt confractio & ſpoliatio, ità vt unum ſinè altero non ſufficiat ad incurrendam excommunicationé, ex notatis ibi *per gl.* ubi etiá quod ſimilitèr debent intelligi *Can. canonica 11. quaſt. 3. & can. Omnes Eccl. 17. quaſt. 4.* cujus can. explanationé, & copulativè requiſita diligétiùs notat. *Sayr. de Cenſur. lib. 3. cap. 29. à num. 13. & ſeqq. Navarr. Manual. cap. 27. num. 94. verſ. octava. in cap. conqueſtus*, ubi quod nèc ſufficit quæcumque effractio, ut ſeræ, vel arcæ, ſed requiritur, Eccleſię, vel forium ejus ad ingrediendum, *& Sayr. ſup. num. 16.* quod qui ingreditur, eo quia invenit Eccleſiam apertam, vel jàm fractam, ſi ſpoliet, non

 incur-

Digitized by Google

incurrit *& num.* 17. quod requiritur ad incurſum, quod vel parietẽ fodiat, vel Oſtia frãgat, vel feneſtrã, vel cardines, aut quid ſimile, ut ſibi patefaciat ingreſsum. *Clar. lib. 5. §. fin. quæſt. 77. n. 20. Suar. de Cenſur. diſp. 22. ſec. 2. ſub n.* 11. ubi per confractionem intelligitur, quævis violenta aperitio Eccleſiæ, ſivè rumpendo murum, ſivè ſeras cõfringendo. *Bonaccin. de Cenſur. in partic. diſp. 2. quæſt. 3. p. 12. num. 11. & 12. Filliuc. tract. 15. cap. 2. ſub. num. 55. verſ. ſecundò notandum.*

Quæ placuit notare attentiùs, nè contingat dubitare, quod ſi prò aſportanda Capſula Eleemoſinarum, neceſse fuit eam violentèr de muro extrahere, cui adnectebatur, tamèn etiam dato, & non conceſſo, quod talis actio fuiſſet Eccleſiæ iniurioſa, ea non ſufficit ad hanc excõmunicationẽ *Emanuel Roderic. quæſt. regular. tõ. 2. quæſt. 50. art. 2.* ubi quod ad incurrendam hanc excommunicationẽ requiritur talis, & tanta fractio, quæ ingreſſum ſpoliatori paret. *Sylveſt. verbo. excommunicatio. q. 7. caſ.* 8.

Quò uerò ad allegata Privilegia, & Bullas dictas *Mare Magnum*, ſufficeret reſponſum, quòd cum non ſint inſerta in corpore Juris, non faciunt Jus; & cùm ſint quid facti non præſumuntur, ſed debent probari per ſcripturam *Maſcard. de probat. concl. 528. n. 19.* & eſt *Text. in cap. porrò. de privileg. cap. cum perſona de privileg. in 6.* ideò quilibèt habet iuſtam de eis ignorantiam, ad allegata *per Io: Bapt. Coſt. de fact. ſcient. & ignorant. inſpect.* 98. maximè ad effectum incurrendi pœnam poſitiuam, quidquid ſit ad effectum incurrendi nullitatem actus, de quo *Creſcent. dec. 4. de priuil.* & maximè ad incurrendam Cenſuram, quæ certam ſcientiam Juris, & facti requirit. *cap. penult. de Cleric. excom. miniſtran. Megal. de Cenſur. lib. 2. cap. 2. num. 51. Roderic. ſupracit. art. 2. verſ. circà quàm conceſſionem*; ubi potiſſimùm quod effractores non ſint excõmunicati, ſed excommunicandi.

Tùm quia ſi legantur iſtæ Bullæ dictæ *Mare magnum*,

de

de omnibus perſonarum generibus diſponunt, ſed diuerſimodè, quandò agitur de Cenſuris; Nàm quoad Epiſcopos, Ordinarios, & Parochos turbantes &c. ipſo facto vèl ſuſpendit, vèl excommunicat, vèl interdicit, ità & Iudices, & Magiſtratus; alios verò laicos dicit, ut excommunicentur, vt patet ad litteram *in Mari magno Eremitarum. §. 93. & num. 154. apud Lezzan.* poſt eius ſummam impreſſo. *Carmelitarum num. 526. Seruitarum num. 214. Prędicatorum nu. 54. ſic &c.* In quo fuſior non immoror, quia allegata ad hunc effectum ex adverſo nullius roboris ſunt, & in fine Scripturæ datę pro Canonicis fatentur, Bullas, de quibus ibi, imponere pœnam excommunicationis ferendæ.

Hinc eſt, quod conuolarunt ad alteram inſtantiam, quod ab Ordinario præcipiatur D. Fatinellio ſub pœna excommunicationis, termino aſſignato, prò reſtitutione Sedilis, & Capſulæ tranſportatorum.

Sed neque in hoc fouent bonum Jus, & propterea non ſunt exaudiendi. Nàm licèt in *cap. cùm ſit generale. de foro compet.* dicatur, quod Sacrilegi conveniantur coràm Judice Eccleſ. & hoc eſt fundamentum Canonicorum, proùt in principio, & pro eis allegatis colligitur, tamèn falluntur in ſuppoſito, ſcilicèt quod aſportantes illud Sedile, & Capſulam ſint Sacrilegi, quod alienum eſt à veritate, & ab omni jure, ut ex ſequentibus patebit.

Pro cuius facti veritate præmittendum eſt, quod D. Fatinellius ex duplici cauſa ea aſportare feciſſe dicitur, primò ut ea Confratribus reſtitueret, ſicuti ex pacto tenebatur permittere, vt Confratres ea tollerent, & aſportarent, cui aſportationi iniuriosè reſtiterunt Canonici denegantes Confratribus uti jure ſuo, ideò potuit D. Fatinellius cooperari, & contrà iniuriantem de facto conſulere. *l. ut vim. ff. de Iuſt. & Iur.*, nàm etiàm contrà Clericos licet res ſuas defendere. *Farinacc. de homicid. quaſt. 125. num. 186.* & elegantèr *Bellet. diſquiſit. clerical. p. 1. tit. de favore Cleric. can. §. 2. ſub num. 2.* ubi etiàm prò defenſione aliorum, ſivè

pro-

propinquorum, ſivè extraneorum, dummodò ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ, pro ut ſervatum fuit in iſto caſu, ubi præcisè factum eſt quantùm neceſse erat, & ſufficiens prò ſedile Confratrum, & Capſula eorum rehabenda.

Nec poteſt dici, auctoritate propria aſportantes ea ſibi jus dixiſſe, & propetereà debeant cogi ad reſtituendum occupata; *ad Text. in l. ſi quis in tantam. C. undè vi.* quia cum Sedile, & Capſula non eſsent in dominio, aut poſſeſſione Canonicorum, nullum jus in eis habebant, aut habere poterant, nequè allegant. *Tex.* autèm *in l. ſi quis in tantam,* procedit in caſu, quo res ſit in poſseſſione eius, apùd quem reperitur, proùt notat *Farinacc. q.* 175. *num.* 3. Ità paritèr ſi Depoſitarius auctoritate propria expellatur à deponente, non habet contrà eum actionem ad pęnam ea ſempèr ratione, quia depoſitarius non dicitur poſſidere rem depoſitam, per dictam *l. ſi quis in tantam* notat *Farinacc. d. queſt.* 145. *num.* 111. vbi, *& Alberic.* de violentèr auferente rem depoſitam alteri, & negante eam reſtituere, At cum Sedile, & Capſula ſempèr fuerint in dominio, & poſſèſſione Confratrum, licet per eos detinesentur in Cappella ſita in Eccleſia Canonicorum, hæc trāſportatio non habet vim novæ occupationis, ſed eſt continuatio poſſeſſionis, & dominii, & tunc licet auctoritate propria rem ſuam trāſportare *Dec. conſ.* 460. *num.* 20. *lib.* 3. *Pariſ. conſ.* 1. *n.* 153. *conſ.* 41. *n.* 38. *&* 39. *lib.* 1. & poſt plures allegatos *Farinac. fragm. crim. p.* 1. *in verbo, auctoritate propria n.* 258.

Quod omninò indubitatum eſse dicit *num.* 259. quādò adeſt pactum, quia volenti, & paciſcenti non fit iniuria *per Text. in l.* 3. *C. de pignor.* & latiùs *Farinac. qu.* 175. *n.* 174. ubi ponit hoc pro regula, & quàm diligentiſsimè modo ſolito examinat, ubi quod ſtante pacto de ingrediendo poſſeſſionem, intèr partes inito, qui ex vi pacti ingreditur, nemini facit iniuriam, & nullam incurrit pęnam ſecundum *gl. in l. ſi quis in tantam. in q.* 7. *verſ. idem dico. C. unde vi.*

Ubi

Ubi Farinacc. ſub nu. 180. quod pactũ valet etiàm cũ Eccleſia, ſi res non fuerint Deo conſecratæ, ſicuti certò non ſunt Sedilia, de quibus praxis quotidiana eſt, quod Cives tempore Quadrageſimæ deportant in Eccleſiam Sedilia, ad ſui commodum tantùm, deinde auctoritate propria finita Quadrageſima ea ſibi tranſportant; tùm quià nõ ſunt Deo ablata, tùm quia hoc pacto tacito ea deportauerunt, ideò jus Laicorũ quoad hæc ſedilia in Eccleſia eſt manutenibile *Barboſ. in cap. abolẽdę, de ſepultur. Gratian. diſcept. for.* 210. *à nu.* 37. *& cap.* 615 *n.* 70 *Bellet. diſquiſ. clerical. p.* 1. *tit. de bon. cleric.* §. 3. *num.* 34 *Poſt. de Manut. obſeru.* 73. *num.* 189. *ubi Rot. Ciarlin. controv. for. cap.* 119.

Nec poſsunt Canonici obiicere, hoc pactum fuiſse initum cum Familia de Fatinellis, non cum ipſis, & prò Sedili, non prò Capſula eleemoſinarum.

Nàm cum ex Scientia Canonicorum fuerint Confratres taliter admiſſi à DD. Fatinellis, & ipſi ſaltèm tacitè approbarunt pactum; ſicuti cum ſciverint, vt in eorum ſcriptura fatentur, quod illa Capſula erat appoſita ad favorem Confraternitatis, cenſentur approbaſse pactum; *per reg. qui tacet.* 43. *de reg. jur. in* 6. *ubi Barboſ. num.* 6. ex quo fit, quod hodiè non poſsunt reſiſtere ſinè injuria tranſportationi earum rerum, quam hoc modo per anteà approbaverant, per *Reg.* quod ſemel placuit ampliùs diſplicere non poteſt *de reg. jur. in* 6.

Altera ratio, cur D. Fatinellius aſportare fecit illud Sedile, fuit, non ſolùm, ut illud reſtitueret Confratribus, juxtà pactum, ut dictum eſt, ſed quià prò ſolemniori põpa celebranda feſtivitate S. Zitæ propoſuerat, ſericis velis, argenteis vaſis, pretioſis ſupellectilibus Cappellam exornare, circum veſtire, & apparatu decorare. Sedile autèm, & Capſula impedimento erant; In Inſtrumento autèm fundationis Cappellæ inito cum Canonicis Familia de Fatinellis expreſsè habet, quod vel ornatui dictæ Cappellæ, vel ædificationi nullum poſſit per Canonicos dari impedi-

mentum

mentum quovis quæſito colore; Vndè non animo eã ſibi rapiendi, ſed utendi jure ſuo, removendo impedimentum, tranſportare fecit Sedilia, & Capſulam; animus autem principalitèr conſideratur, ut actio dicatur, vel non dicatur mala, & injurioſa cum delicta ex voluntate, & propoſito diſtinguãtur *l. Divus ff. ad l. Cornel. de ſicar. l. qui iniuria ff. de furt.* & ex allegatis per *Sperell. dec. 24. n. 54. & 57. Farinacc. quæſt. 174. nũ. 9. Ricc. dec. Neapolit. 61. p. 1.* & eſt Theologorum axioma *cum D. Th. 1. 2. quæſt. 72. art. 1.* quod actus ſuam recipiunt ſpecificationem bonitatis, aut malitiæ ex eo; quod eſt primò principalitèr, & per ſe intentum, quæ intentio D. Fatinellii ex pluribus circumſtantiis præcedentibus, præſentibus, & ſubſequentibus omninò innotuit, talem fuiſſe. Ex quibus patet, nullum hic adeſſe delictum.

Et tandèm omninò veriùs dicamus, totum delictum eſſe eorum Canonicorum, tùm quia injurioſè attentarunt retinere, & detinere rem alienam invito rationabilitèr Domino; tùm quia cum aliena jactura volebant locupletari, à quo ſummopere abbhorret Eccleſia, quæ legem hoc damnantem condidit in *reg. locupletari. 48. de reg. Jur. in 6.* Quarè, &c.

Andreas Bertonus S. Th. & I.U.D. S. Ferrarienſis Eccleſiæ Can. Theol. Sacræ Inquiſitionis Conſultor.

Diè

Die 10. Octobris 1686.

QVi Dñs, &c. ſedẽs, &c. viſis, &c. accenſis tribus Luminibus, Chriſti Nomine inuocato, ſententiauit, & declarauit, non eſse locum excommunicationi contrà D. Nicolaum Fatinelli petitæ prò parte P. P. Canonicorum Lateranenſium; & ſucceſſiuè mandauit, & prçcepit ad pœnam Scutorũ 50. & excõmunicationIs in ſubſidiũ Sp. Nicolao Fatinelli, quod infià ſex dies proximè futuros debeat reponere d. Bancum, & Capſulam pro Elecmoſinis in loco, & locis, ex quibus d. d. res fuerunt aſportatæ, ad effectum, vt poſſint, & debeant conſignari Confraternitati B. Zitæ, cuius ſunt propriæ, & d. Confraternitas obtento beneplacito Reuerendiſſimi D. Prioris, & D.D. de Fatinellis, poſſit eaſdem res ſumere, & ad ſui libitum aſportare; & quatenùs d. beneplacitum d. Confraternitas non obtineret à ſupraſcriptis, vel ab aliquo eorum, poſſit eadem Confraternitas, debita tamèn cum reuerentia Eccleſiæ, propria auctoritate ſumere, & aſportare. Et ità, &c. Omni, &c.

Franciſcus Chiocca Not.